







(Alexiu
RIK




(Alexius)
RIK



GRAMMATICA

DACO-ROMANA

SIVE

VALACHICA

LATINITATE DONATA, AUCTA, AC IN HUNC ORDINEM REDACTA

OPERA ET STUDIO

JOANNIS ALEXI

CLERICI ALMAE DIOECESEOS G. R. C. MAGNO-VARADINENSIS
IN CAESAREO REGIO CONVICTU VIENNENSI ALUMNI
THEOLOGI ABSOLUTI.

VIENNAE,

APUD BIBLIOPOLAM JOSEPHUM GEISTINGER.

1826.

PRAEFATIO

AD

CANDIDUM LECTOREM.

Ad Grammaticam Daco-Romanam sive Valachicam Latino Idiomate, latinisque sive aviticis Daco-Romanorum literis adornandam, elaborandam, lucique publicae edendam, trina me impulit ratio. Prima, quae maxime ursit, summa fuit penuria Grammaticarum in hacce linqua Latino Idiomate, iisdemque omnibus cultis Nationibus communibus literis exaratarum. Secunda in meo iam dudum amore Nationis meae charissimae perfuso, non gloriae, non laudis, non aestimationis lucrique cupido haerebat animo, hasce laborum meorum primitias publici iuris faciendi, ut meum publicae utilitati prospiciendi studium, et amorem contester, atque obsecundem votis Daco-Romanorum Alumnorum Caesarei-Regii Convictus, qui ut sunt eruditionis amantissimi, pridem postularunt, ut hoc opusculum luci edam. Tertiam denique suggesse-

runt, repetitae ac continuae multorum, hancce perfacilem et amoenam, per amplissimas Europae partes extensae Gentis Daco-Romanae Linguam, addiscendi desiderio perfusorum interpellationes, quibus eo lubentius meum praebui adsensum, quod longe prius praeviderim, multos cuiuscunque Nationis, conditionis, statusve homines, summum ex hoc meo labore emolumentum relaturos; iisque, quibus sive commercium exercendi, sive munia aliqua capessendi, gerendique, sive solum peregrinandi, conversandique gratia ad Daco-Romanos olim accedendi fuerit animus, non modo utilem, sed et maxime fore necessarium.

Nos enim quidam Daco-Romani Linguam nostram perfectius addiscere volentes, aliisque eam notam reddere cupientes, nunquam non studemus, media quoque quaerere, quibus tam proficuus finis quo facilius obtineri queat; inquibus quaerendis multi Doctissimi Nationis nostrae Viri multum desudarunt, actuque desudant, quos nominatim adferre longum foret. Unicum hic silentio praeterire haud possum Reverendissimum ac Celeberrimum Dominum suae Nationi immortalem Petrum Major de Ditsö Sz. Márton Archidiaconum Dioecesis Fogarasiensis in Transylvania, ac olim penes Typographiam Regiae Scientiarum Universitatis Hungaricae Librorum Revisorem, qui edidis multis, iisque Nationi summe necessariis libris, postremo typis divulgavit Orthographiam Romanam sive Latino-Vala-

chicam, quae mihi normae instar in conscribendo hocce Opusculo exstitit. Grammaticam huic operi accomodatam iam-iam publici iuris faciendam, pariter habuit paratam, ast fatis functus ad aliorum devenit manus, et sic (fors) periit. Denique Dictionario quadrilingui a Reverendissimis D. D. SAMUELE KLEIN et BASILIO KOLOSY incepto, conscribendo ac elaborando manum admovit, quod morte illius pariter cessare debuit. Nihilominus illud a pluribus egregiis ac doctissimis Nationis nostrae Viris continuatum et correctum, nunc tandem Deo ter Optimo Maximo adjuvante Budae typis et sumtibus Typographiae Regiae Universitatis Hungaricae publicam vidit lucem.

Nihil itaque supererat, quam existentibus duobus mediis addiscendae linguae Daco-Romanae aptissimis, tertium quoque ad eandem normam elaboratum in medium prodeat, scilicet Grammatica.

Manum proin protinus Operi huicce adposui, et conatus sum, diurna nocturnave vigilantia, quousque per limitatas mihi vires permissum fuit elaborare. Procul tamen sit arrogantia, qua seducerer, ut opus omnibus numeris absolutum, confecisse, mihi videar! me potius minime fugit, et huic Operi suas non deesse lacunas, quas tamen studiis futuris meis magis in dies magisque explere adnitar, praesertim si rerum in libello hoc pertractatarum, periti iudicesque aequi candore illo,

quo sapientia distinguitur, meos me errores edocuerint. Correctionem veritati innixam, grato semper accipiam animo, certus, errare hominis esse, sapientis autem errorem agnoscere, agnitum profiteri et, quousque licet emendare: homo enim non nisi per errorum scalam, ad sapientiae altitudinem et fastigium ascendit.

Ad hunc laborem feliciter perficiendum, plurium Clarissimorum Virorum lucubrationibus usus sum, quos enumerare non vacat. Unius hic nomini adferendo silentio supersedere nequeo Clarissimi Domini Constantini Diaconovits Loga Scholarum Praeparandarum V. Aradinensis Professoris P. O. Viri de Natione et Literatura Daco - Romana optime meriti, cujus Grammaticae Daco - Romano Idiomate exaratae haeres exstiti, eius, cum indole Orthographiae Romanae convenientes sequendo regulas, repugnantibus aliis substitutis, eidem adamussim correspondentes; Cui iterum iterumque grates referro.

Linguam quam TIBI Lector Candidissime hocce mediante Opusculo addiscendam ob oculos pono, Lingua est facillima, eaque vetus illa Romana, quam ante correctionem Linguae Italicae cum eadem unam eandemque fuisse refert *Covacius in Dial. de Administr. Regni Transylv.* (quem citat Laurentius Toppeltini Transylvanus in *Libr. de Orig. et Occ. Transylvanor. Cap. IX.* loquens de Lingua et literis Valachorum)

qui observans vernaculum istorum (Daco - Romanorum seu Valachorum) sermonem, plus fere in se habere Romani et Latini sermonis, quam praesens Italorum lingua, dicit: „*Existimo, antequam Dantes, Boc-„catius, et Petrarcha ex Barbarismis Longobardo-„rum, Gallorumve, et familiaris Latini sermonis „reliquiis, novam hanc Italorum, elegantem et pe-„ne Divinam, composuissent, Valachicam Italicae „linguae, per omnia similem fuisse.*“ Haec dialectos habet Gallicam, Hispanicam et per omnia simillimam Italicam.

Illud mihi a TE postremo Lector Humanissime etiam atque etiam petendum est, ne ad ferendum praeposterum de Lingua nostra iudicium accedas, priusquam eam bene perspectam, eiusque Dialectos TIBI notas propriasque non reddideris, secus similis eris caeco de coloribus, surdo de sono iudicare volentibus. Neque puritatem Linquae inter alienigenas aut extra patriam degentes Valachos quaeras.

Haec Grammatica tres complectitur partes. Pars I agit de Orthoepia et Orthographia seu de recta aviticis Daco - Romanorum Literis scribendi ratione. Pars II continet Etymologiam novem Orationis partium Linguae Daco - Romanae exactissime elaboratarum. Pars III denique methodum disjunctas Orationis partes rectissime construendi adornat, una cum Appendice de

recto pronunciandi modo. His accedit Vocabularium Daco - Romanum et Latinum, continens omnis generis Substantiva in sermone quotidiano occurentia, eo ordine, quo in optimis Italicis et Germanicis Grammaticis se excipiunt, nec non Adjectiva, Verbaque selectiora ac maxime necessaria. Vocabularium excipiunt Dialogi diversissimi Lingua Daco - Romana ac Latina conscripti. Deinde veniunt pulchrae Anecdotae cum Narratiunculis delectantibus. Denique finem faciunt Fabulae Aesopi Idiomate Daco - Romano conscriptae cum morali doctrina ex iis promanante.

In elaborando hoc Opere multum me adjuvit Doctissimus Dominus Dr. ALEXANDER THEODORI, qui etiam typi correctionem, quousque licuit, diligentissime curavit, Cui pro indefesso labore infinitas publice referro gratias. — TU interea Candide Lector hunc qualemcunque nostrum gratuitum laborem ac fatigium aequi bonique consulito, et Valeto.

CONSPECTUS
GRAMMATICAE DACO-ROMANAE
SIVE
VALACHICAE.

PARS PRIMA.

De Orthoepia, et Orthographia.

CAPUT I.

De Literis Daco-Romanis, earumque pronunciatione generatim.

CAPUT II.

De Literis Speciatim.

CAPUT III.

De Diphtongis.

CAPUT IV.

De Accentibus.

CAPUT V.

De Apostropho.

CAPUT VI.

De Divisione Syllabarum.

PARS SECUNDA.

ETYMOLOGIA.

CAPUT I.

De Partibus Orationis Linguae Daco-Romanae.

CAPUT II.

De Orationis Partibus flexibilibus.

CAPUT III.

De Nomine.

CAPUT III.

De Pronomine.

CAPUT IV.

De Verbis.

CAPUT V.

De Participio.

De Partibus Orationis indeclinabilibus.

CAPUT VI.

De Adverbiis.

CAPUT VII.

De Praepositionibus.

CAPUT VIII.

De Conjunctionibus.

CAPUT IX.

De Interjectionibus.

PARS TERTIA.

DE

SYNTAXI.

CAPUT I.

De Syntaxi Articulorum.

CAPUT II.

De Syntaxi Nominum.

CAPUT III.

DE

Syntaxi Pronominum.

CAPUT IV.

De Syntaxi Verborum.

CAPUT V.

De Syntaxi Adverbiorum.

CAPUT VII.

De Syntaxi Conjunctionum.

CAPUT VIII.

De Syntaxi Interjectionum.

Appendix.

De Prosodia.

Vocabulariu Romànescu, si Latinescu. — *Vocabularium Daco-Romanum et Latinum.*

GRAMMATICA
DACO-ROMANA
SIVE
VALACHICA.

GRAMMATICAE
DACO-ROMANAE
SIVE
VALACHICAE.

PARS PRIMA.

De Orthoepia, et Orthographia.

CAPUT I.

De Literis Daco-Romanis, earumque pronunciatione generatim.

§. 1.

Numerus et Forma Literarum.

Literae Latinae apud Daco-Romanos, quorum avitae, eaedem sunt, additis nihilominus quibusdam accentibus, ac signis propter faciliorem legendi pronunciandique modum, quae apud Latinos. Numerantur viginti ut pote:

Majusculae, sive Capitales:

A. B. C. D. E. F. G. H. I. L. M. N. O. P. Q. R. S. T. U. Z.

Minusculae sunt:

a. b. c. d. e. f. g. h. i. l. m. n. o. p. q. r. s. t. u. z.

1) Majusculae in principiis sententiarum, ac versuum scribi solent, uti etiam literae initiales post punctum. 2) In nominibus propriis virorum. 3) In nominibus Festorum, Scientiarum, Dignitatum et Officiorum; de caetero minusculae adhiberi solent.

Literis, *K. W. X. Y.* Daco-Romani carent, ac easdem aliis reddunt literis, uti *K*, per *Ç*, more Latinorum; *W*, per *V*; *X*, per *S*; ac *Y*, per *I*; more Italorum. Sed de his uberius sequenti capite erit sermo.

§. 2.

De Divisione Literarum.

Literae dividuntur in vocales, et consonantes. Vocales sunt numero quinque: *a. e. i. o. u.* Reliquae sunt consonantes, quarum eae, quae incipiunt a se ipsis in pronunciando, et desinunt in vocalem, nominantur mutae, et sunt numero septem, ut: *b. c. d. g. p. q. t.* Illae vero, quae incipiunt a vocali, et desinunt in se ipsas, semivocales audiunt, ut: *l. m. n. r.*

CAPUT II.

De Literis Speciatim.

§. 3.

De Vocalibus, earumque pronunciatione.

Vocales, *a. e. i. o. u.*, in Lingva Daco-Romana pronunciantur eodem modo, quo in Latina sono aperto, sic:

A.

1) *A*, sonat ut *a* latinum, e. g.

Acu, *acus.*	Aluna', *avellana.*
Arcu, *arcus.*	Auru, *aurum.*

Abur, *vapor.*	Ager, *acer.*
Aer, *aer.*	Amaru, *amarus.*
Afundu, *affundo.*	Aducu, *adduco.*

Caeterum, praeter hunc sonum apertum, litera *A*, apud Daco-Romanos admittit 2), etiam sonum obscurum sive extraordinarium, more Gallorum, prout et reliquae vocales, plus, minus, qui sonus hodie apud Latinos non auditur, huncque Daco-Romani Cyrillicis utentes characteribus exprimunt cyrillica littera ъ, quemdum vocales: *a, e, i, o, u,* admittunt, hoc signo notantur (ʾ), ut: à, è, ì, ò, ù, efferunturque medio *a* inter et *e* sono. Videamus exempla soni obscuri singularum Vocalium.

α) Soni à, e. g.

Bàtà, *baculus.*	Pànurà, *pannus.*
Càdere, *cadere.*	Fà, *fac.*
Dà, *dat.*	Làudatu, *laudatus.*
Màritatà, *maritata.*	Nàucu, *stolidus.*
Sànitate, *sanitas.*	Sàrire, *salire.*

β) Soni è, e. g.

Fètare, *fetare.*	Vèna, *vena.*
Rèmànu, *remaneo.*	Vèntu, *ventus*
Sècu, *siccus.*	Rèsunu, *resono*
Rèu, *reus, malus,*	Pècurariu, *pecuarius.*
Rèspundu, *respondeo.*	Bètrànu, *senecio, veteranus.*

γ) Soni obscuri ì, e. g.

Inflatu, *inflatus.*	Intru, *intro*
Ingònfatu, *inflatus, turgidus.*	Vìrtute, *virtus,* vel *vis*
	Rìdu, *rideo*
Inpèratu, *Imperator.*	Tìciune, *titio*
Incàrcatu, *oneratus.*	Sànìtate, *sanitas*
Invètiatu, *doctus.*	Inputu, *imputo.*

δ) Soni obscuri ò, e. g. ròtundu, *rotundus;* gònfatu, *turgidus;* ripòusare, *quiescere* vel *pausare;*

Ast eiusmodi vocabula sono obscuro vocalis ó notata admodum sunt pauca.

ε) Vocalis *u*, sonum obscurum rarissime recipit, sed semper effertur sono aperto, e. g. umplu, *impleo*; ungu, *ungo*; uscu, *exsicco*, etc.

Praeter hunc sonum obscurum, sive extraordinarium apud plerosque Daco-Romanos sive Valachos veteris Daciae, alter quoque sonus obscurus obtinet, quem Macedo-Romani sive Valachi Aurelianae Daciae nunquam exprimunt, ac hunc sonum Valachi cyrillicis literis utentes designant litera ѫ; quaevis itaque vocalis dum sonum huncce admittit notatur accentu circumflexo (^), ut: mânà, *manus*; câne, *canis*; mâne, *mane, cras*; începu, *incipio*; gûtu, *guttur*. etc. Verum hunc sonum extraordinarium ex Orthographia nostra emanere posse nemo non videt, cum eundem sonum exprimant vocales etiam signo (ʾ) notatae, ut superius vidimus; et cum ipsi Macedo-Romani eodem destituantur, et eius loco signo literae cyrillicae ъ utantur; quod signum, et ego per omnia missum faciam, ac eius loco ad quemlibet sonum obscurum indicandum utar signo (ʾ) cum illud fere omnes adhibeant.

Nota. De cetero autem signum (^) est magis notum, cum illo utantur etiam Galli ad sonum obscurum exprimendum, et in libris latinis etiam interdum illud videre est; quare si quis velit illo uti ad exprimendum sonum literae ъ cyrillicae, minime errabit.

Etsi vero quaevis vocalis Latina apud Daco-Romanos admittit sonum obscurum sive strictissimum, ut superius observavimus; tamen non potest pro arbitrio in quavis dictione quaelibet absque discrimine vocalis latina loco ъ adhiberi; sed Cyrillianae ъ semper ea vocalis Latina surroganda est, pro qua ъ subtrusa fuit. Secus si facias, non modo imperfectiorem reddes lingvam Romanam seu Valachicam, verum etiam novam et quasi absurdam conditurus es, e. g. ride, *ridet*, si pro i ponas *a*, exterus leget rade, *radit*; si *e*, leget rede, quae est Germanica dictio; si *o* rode, *rodit*; si *u*,

leget, rude, *perticae*; debet ergo poni vocalis *i* ut, ride; nam pro hac vocali Latina supposita fuit Cyrillica litera ѣ. Sic etiam pro pàne, non est scribendum pène, pìne, pòne, aut pùne, quamvis in omnibus sonus sit idem, nam non ab his, sed a Latina voce *panis* oritur; pro rèspundu, non est scribendum ròspundu, aut rùspundu, venit enim a *respondeo;* gònfatu, non vero gùnfatu, nam venit ab Ital. *gonfiato;* tùu, et non tàu, vel tèu, quia venit a *tuus*; et alia plura tum ex librorum lectione, tum vel maxime Lexicis discenda. Unde clarum est, nihil in Orthographia Daco-Romana seu Valachica majorem exigere attentionem, quam rectus ipsarum vocalium usus, dum Literae Cyrillicae ѣ, ad designandum sonum obscurum, sive strictissimum substituendae veniunt.

E.

1) *E*, pronunciatur sicut apud Latinos sono aperto, ut:

Sedere, *sedere.*	Genunchiu, *genu.*
Versu, *versus.*	Lemnu, *lignum.*
Vermè, *vermis.*	Feru, *ferrum.*
Bere, *bibere.*	Berbece, *vervex.*
Fericitu, *felix.*	Peptu, *pectus.*

2) É accentu acuto (′) notatum pronunciatur uti diphtongus *ea*, e. g.

Péna, *penna*	Èrba, *herba.*
Vérga, *virga.*	Féta, *filia.*
Èccè, *ecce.*	Fére, *fel.*
Èrnà, *hyemis.*	Feréstа, *fenestra.*
Séu, *seu.*	Èsca, *fomes.*

3) Ė, punctatum effertur sicut *i* ad *e* accedens, e. g.

Tėmpu, *tempus.*	bėne, *bene*
Tėnėr, *juvenis.*	bėneche, *etsi.*

4) *E*, signo soni obscuri notatum sonat sicut Cyrillicum ѣ, ut superius sub litera *A* Nro 2-o videre est.

I.

1) *I*, Pronunciatur more Latinorum, e. g.

Intru, *intro.*
Limpede, *limpidus*
Fire, *natura.*
Diregu, *dirigo.*

Mirare, *mirari.*
Vinu, *vinum.*
Sinu, *sinus.*
Inima, *cor.*

2) *I*, dum in consonantem *j* transit, profertur non modo sicut *jod*, more Latinorum, sed etiam sicut ж Cyrillicum, more Gallorum, quod Itali mutare solent in *g*, ac hoc in casu prolongatur et sic (*j*) formatur, e. g.

Jude, *judex.*
Jugu, *jugum.*
Judecu, *judico.*
Juncu, *juvencus.*
Juru, *juro.*

June, *juvenis.*
Juramentu, *juramentum.*
Judeçiu, *judicium.*
Jocu, *lusus.*
Jimbu, *curvus.*

In priore casu vero dum nimirum vicem consonantis subit, ac more Latinorum tanquam *jod* profertur, non recedit a sua figura (*i*) ordinaria, prout etiam apud Latinos usuvenit, e. g. Boiari *nobiles;* iinu, *linum;* fiiu, *filius;* io, *ego;* muiiere, *mulier;* profer: *jinu, fiju, jo, mujiere.*

3) *I*, in Syllabis: *tia, tie, tio, tiu; çia, çie, çio, çiu;* vix audiri solet, quae secundum Orthographiam Italicam scribi deberent: *za, ze, zo, zu;* secundum germanicam: za, ze, zo, zu; secundum hungaricam; *tza, tze, tzo, tzu,* secundum Cyrillicam ца, це, цо, цȣ, ut:

Aquàtiare, *appendere.*
Frumsetiei, *formositati.*
Omutiu, *homuntio.*

Açia, *acies,* v. *filum.*
Façie, *facies.*
Calçiunu, *calceus.*

4) *I*, admittit sonum obscurum ut superius vidimus.

O.

1) *O*, profertur sicut Latinum sono aperto, e. g.

Omu, *homo.*
Oleiu, *oleum.*

Focu, *ignis.*
Poporu, *populus.*

Órà, *hóra.*	Modu, Modru, } *modus.*
Organu, *organum.*	Rodu, *rodo.*
Ostașu, *ostiarius*, v. *miles.*	Lotru, *latro.*
Onòre, *honor.*	

2) *Ó*, accentu acuto (′) notatum sonum diphtongi *oa* praesefert, e. g.

Cócere, vel Cóquere, } *coquere.*	Pórtà, *porta.*
Scólà, *schola.*	Córdà, *corda.*
Sórte, *sors.*	Pórcà, *porca.*
Mórte, *mors.*	Sócrà, *socrus*, etc.

De sono obscuro litterae *O* iam egimus in prioribus.

U.

1) *U*, pariter pronunciatur more Latinorum, e. g.

Ursu, *ursus.*	Umbra, *umbra.*
Untu, *unqventum.*	Uger, *uber.*
Umidu, *humidus.*	Uscatu, *exsiccatus.*
Ucidu, *occido.*	Ulmu, *ulmus.*
Unu, *unum.*	Unde, *ubi* etc.

2) *U*, in fine nullo accentu notatum semivocalis est, adeoque medio tantum sono efferendum ac tonus in penultima syllaba figendus est, ut in allatis exemplis videre est, ubi *u* ultimum vix auditur. E contra dum tonus in ultima syllaba figendus est, tunc *ù* accentu gravi (`) notatur et integrum sonum recuperat, e. g. amù, *modo*; vedù, *vidit*; avù, *habuit*; fù; *fuit*; etc.

3) *U*, dum in vocalem V transit pronunciatur more Latinorum, e. g.

Vas, *vas.*	Vulpe, *vulpis.*
Vadu, *vadum.*	Veninu, *venenum.*
Vacà, *vacca.*	Vecinu, *vicinus.*
Vulture, *vultur.*	Veduà, *vidua.*

4) *U*, apud Daco-Romanos dum post *q* sequitur, nullum edit sonum, e. g. qua, *ut*; quare, *qualis*;

quàtu, *quantum*; quòti, *quot*; haec ita efferuntur, ac si littera c scriberentur: ca, care, cătu, cŏti.

5) *U*, quandoque ponitur inter duas vocales, otiose, quin aliquem edat sonum, inservit tamen ad producendam syllabam, ut: nóuĕ, *novem*; nóuă, *nova*; noui, *nobis*; vóui, *vobis*; ouă, *ova*; óue, *ovis*; oui, *oves*; arauam, *urabam*; cădeuam, *cadebam*; stringeuam, *stringebam*; dormieuam, *dormiebam*; araui, *aravi*; lăudaui, *laudavi*. Diaeresi vero notata vocalis *u* pronunciatur, ut sciüi, *scivi* etc.

§. 4.

De Pronunciatione Consonantium.

B.

B, pronunciatur more Latinorum, e. g.

Barbă, *barba*.
Bélă, *bellua*.
Beutură, *potatio*.
Bibolu, *bubalus*.
Biblie, *biblia*.
Batu, *batuo*.
Bocescu, *vociferor*.
Băstonu, *scipio*.
Besică, *vesica*.
Bunu, *bonus*.

C.

1) *C*, ante *a*, *o*, *u*, *h*, *l*, *r*; item in fine vocis sonat more Latinorum, ac Italorum, ut κ Graecum, e. g.

Carne, *caro*.
Carte, *liber*.
Căldare, *caldarium*.
Corbu, *corvus*.
Cornu, *cornu*.
Cucurbĭtă, *cucurbita*.
Cumnatu, *cognatus*.
Caldu, *caldus*.
Chiaru, *clarum*.
Chidu, *claudo*.
Chiămu, *voco*.
Clocescu, *glocito*.
Climă, *clima*.
Crésta, *crista*.
Creştinu, *christianus*.
Facu, *facio*.

2) *C*, ante *e* et *i* sonat more Italorum, id est: ut Germanicum *tsche* Hungaricum *cs* vel *ts* Cyrillicum ч e. g.

Ceriu, *coelum*.
Cercu, *circulus dolaris*.
Cenuşe, *cinis*.
Cerbice, *cervix*.

Cérâ, *cera*.	Circelu, *circellus auricularis*.
Cépâ, *cepa*.	Cicere, *cicer*.
Cêtate; *civitas*.	Cina *vel* cèna, *coena*;
Cêreșu, *cerasus*.	Ciungu, *truncus*.

3) *C*, ante *e*, *i* sonum obscurum ferentibus, sonat prout ante *a*, *o*, *u*, et consonantes *h*, *l*, *r*; nempe ut *k*, e. g. ducêndu, *ducendo*; fàcêndu, *faciendo*; tăcêndu, *tacendo*; facitoriu, *factor*. etc.

4) Ç, caudatum sonat sicut Italicum *z* simplex, hungaricum cz, ud *tz*, et germanicum ʒ; e. g.

Façie, *facies*.	Çicâ, *mamma*.
Câlçiuni, *calcei*.	Çapu, *caper*.
Çiçinâ, *cardo*.	Çedru, *cedrus*.
Çinçariu, *culex*.	Şedula, *schedula*.

5) *Ch.* sonat; ut k, e. g. chiae, *vel* chiaue, *clavis*; chemu, *vel* chiâmu, *voco, clamo*; Chesariu, *Caesar*. etc.

D.

1) *D*, communiter pronunciatur sicut apud Latinos, e. g.

Domnu, *Dominus*.	Dosu, *dorsum*.
Duca, *Dux*.	Despartu, *dispartior*.
Dau, *do*.	Ducu, *duco*. etc.

2) *D*, in sequentibus dictionibus earumque derivatis, pronunciatur sicut *z* hungaricum, e. g.

Dieu, Deu, *vel* Dumnedeu, } *Deus*.	Spudie, *spodium*, *vel cinis*.
Dì, *vel*, dio, *dies*.	Diece, *vel* dece, *decem*.
Diori, *aurora*.	Doêdeci, *viginti*, etc.
Tardiu, *tarde*.	Dicu, *dico*.
Intârdiu, *retardo*.	Urdescu, *ordior*.
Mediu, *medium*.	*Lege*: Zieu, *vel* Zeu,
Média dì, *meridies*.	Zì, Meziu, Zicu,
Radie, *radius*.	Spuze, Zece,
	Urzescu. etc.

Item in secunda persona Numeri singularis Praes. Indicativi, et Conjunctivi, omnium Verborum, quorum

Praesens in *du* desinit, e. g. laudu, *laudo;* udu, *humecto;* secunda pers: *laudi*, *udi*, lege: *lauzi*, *uzi*. Clarius, *d* sequente *i* finali semper sonat ut *z*.

De Verbis sequentibus autem, eorumque derivatis, uti sunt: cadu, *cado;* credu, *credo;* şedu, *sedeo;* vedu, *video;* audu, *audio;* una cum eorum derivatis, sequentia diligenter observanda habemus: Haec verba praeterquam in secunda pers. Praes. Indic. N. S. etiam in participio *I.* et *II.* item Gerundio, et Supino *d* literam in *z* emolliunt. e. g.

	pronuncia:
Cădĕndu, *cadens vel cadendo.*	căzĕndu.
Credĕndu,	crezĕndu.
Ridĕndu,	rizĕndu.
Şedĕndu,	şezĕndu.
Vĕdĕndu,	vĕzĕndu.
Audiĕndu,	auziĕndu.
Cădutu,	cazutu.
Şedutu,	şezutu.
Credutu,	crezutu.
Vĕdutu,	vĕzutu.
Auditu,	auzitu.

Caeterum, ad indigitandam hancce pronunciationem, pro minus attentis, aut potius pro exteris, lingvam nostram addiscere volentibus, interdum *d* subnotamus exiquo *z*, ut: Dio, cadĕndu, şedĕndu, şedutu. etc.

F.

F, sonat sicut apud Latinos, e. g.

Fagu, *fagus.*	Fune, *funis.*
Focu, *ignis.*	Foame, *fames.*
Fumu, *fumus.*	Fugu, *fugio.*
Fur, *fur.*	Facu, *facio.*
Firu, *filum.*	Fulgĕră, *fulgurat.*

G.

1) *G*, ante *a, o, u, h, l, r;* item *e, i,* soni obscuri sive strictissimi, pronunciatur sicut apud Latinos, e. g.

Q.

1) *Qu*, ante *a, o, u,* pronunciatur sicut *c* ante *a, o, u,* nempe ut *k*, nam *q*, quoad vim, non differt a *c*, e. g. quàndu, *quando*; quasi, *quasi*; quam, *aliquantulum*; quare, *qualis*; quàtu, *quantum*; etc. pronuncia: càndu, casi, cam. etc.

2) *Qu*, sequente *e* vel *i*, effertur sicut *c* ante *e* vel *i*, id est: ut *tsche* germanicum, *cs* vel *ts* hungaricum, e. g.

Quelu, *ille*.	Quinquè, *quinquè*.
Quine, *quis*.	Nèque, *neque*.
Que, *quid*.	*efferuntur*: celu, cine,
Queru, *peto*.	ce, ceru. etc.

Nota. *Qu*, ante *a* apud Daco-Romanos in dictionibus communibus cum Latinis, et Italis mutatur in *p*, ut: apă, *aqua*; èpă, *equa*; păresimi, *quadragesima*, Ital. *quaresima*; patru, *quatuor* etc.

R.

R, pronunciatur sicut apud Latinos, e. g.

Ramu, *ramus*.	Rotundu, *rotundus*.
Raru, *rarus*.	Rugu, *rubus*.
Repede, *rapide*.	Rece, *recens*.
Ripă, *ripa*.	Rèu, *malus*.

S.

1) *S*, initio vocum ante vocales *a, e, o, u,* item *i* soni obscuri, pronunciatur communiter sicut Latinum *s*, et hungaricum *sz*, ac Cyrillicum с, ut:

Sacu, *saccus*.	Sugu, *sugo*.
Serinu, *serenum*.	Sinu, *sinus*.
Somnu, *somnus*.	Silbaticu, *silvaticus*.

2) *S*, ante *i* clari, sive ordinarii soni, et post *i*, alia vocali sequente profertur sicut hungaricum *s*, ger-

manicum *sch*, Italicum *sce*, *sci*, ac Cyrillicum ш; ut: sie, *sibi*; lisie, *lixivium*; siedu, *sedeo*. etc.

Denique *s* sequente *i* finali semper modo praedicto pronunciatur id est: ut hungaricum *s*, german: *sch*, Cyrillic. ш; *e*. g. ursi, *ursi*; Rusi, *Russi*; pusi, *positi*. etc.

Nota. Nos, dum *s* pronunciandum est crasse uti ш Cyrillicum, ad reddendam exteris expediorem lectionem saepe *s* subnotamus signo mediae lunulae. e. g. eşire, *exire*; lişie, *lixivium*. etc.

3) *S*, ante syllabas *ce*, *ci*; *que*, *qui* profertur pariter crasse; ut: pesce, *piscis*; cresce, *crescit*; esci, *es*; sciu, *scio*; nisque; *quidam*; nesque, *quaedam*; etc.

Nota. Etsi Syllabae *sce*, *sci*; *sque*, *squi*; proprie ac regulariter pronuncientur sicut germanicum *stsche*, *stschi*; hungaricum *stse*, *stsi*; vel *scse*, *scsi*; ac Cyrill. шче, шчи; tamen Daco-Romani sive Valachi vulgo consveverunt pronunciare uti *st*; sic in allatis exemplis (Nro 3-o) enunciant: peste, creste, esti, niste etc. Non obstante tamen hac pronunciatione non universali Latino-Valachice semper scribi debet *sce*, *sci*. etc.

4) Daco-Romani sicut Latini et Itali interdum *s* pronunciant uti *z*, e. g. infrénesu, *pro* infrênu, *refreno*; lucresu, *pro* lucru, *laboro*; necasu, *angor*; séru, *serra*; sèru, *serum*; sama, *jusculum*; effefuntur: infrênezu, necazu, zéru, zéru, zama.

T.

1) *T*, pronunciatur initio vocis ac praecedente litera *s*, sicut apud Latinos; e. g.

Tacu, *taceo*.	Tare, *fortis*.
Tauru, *taurus*.	Tunu, *tonitru*.
Totu, *totum*.	Tusê, *tussis*.
Turmă, *turma*.	Temu, *timeo*.
Tingu, *tingo*.	Eucharistie, *Eucharistia*.

2) *T*, sequente *i*, et post *i* alia vocali, enuntiatur more Latinorum, nempe: ut *tz* hungaricum, ʒ germanicum, ц cyrillicum, ac *z* asperum Italicum, e. g.

Tie, *tibi*.	Frătie, *fraternitas*.
Tiéra, *terra*, *regio*.	Betie, *ebrietas*.
Omutiu, *homuntio*.	Impĕrătie, *Imperium*.
Nutretiu, *nutrimentum*.	Portie, *portio*.

3) *T*, sequente *i* finali semper pronunciatur ut *tz* hungaricum, ʒ germanicum, ut: frati, *fratres*; nepoti, *nepotes*; uscati, *exsiccati*. etc.

Item ţ subnotatum in sequentibus verbis eorumque derivatis; ut: păţiescu, *patior*; ţipu, *proiicio*; ascuţitu, *acutus*; ţéra, *terra*, *regio*.

V.

V, pronunciatur sicut apud Latinos, e. g. vadu, *vadum*; vorbă, *verbum* etc. (Vide sub *U*. 3-o).

X.

Litera *X*, Daco-Romani cărent, eiusque loco more Italorum vulgo in scribendo, et pronunciando simul, praecipue utuntur litera *s*, e. g. Alesandru, *Alexander*; esemplu, *exemplum*; frasinu, *fraxinus*; eşire *exire*. Interim si quis literae *x* asvetus, eadem uti velit praecipue in vocibus graecis minime errabit, hoc tamen est contra genium Lingvae Valachicae.

Z.

Litera *Z*, Daco-Romani proprie destituuntur, etsi eius sonus in eorum Lingva audiatur, eiusque sonus uti supra monui, refertur vel ad ḑ, vel ad *s*. Interim potest quis etiam litera *z* uti, in iis maxime casibus, in quibus et Latini eam adhibent. Graviter tamen peccaret contra Orthographiam siquis *z* adhiberet in scribendo, quotiescunque audit sonum *z*; nam etiam *s* ante *b*, *d*, *g*, *l*, *m*, *n*, *r*, pronunciatur uti *z*, e. g. sborare *volare*; sdrănciosu, *lacer*; sgura, *scoria*; deslegatu,

solutus; pisma, *invidia*; deshodatu, *enodatus*; desrădicinatu, *eradicatus*; svĕntatu, *exsiccatus*; neutiquam ergo sunt scribenda: zborare, zdrănçiosu, zgura, etc. uti communiter scribere solent Orthographiae imperiti.

BREVIS CONSPECTUS

Observationum ac Regularum expositarum ad pronunciationem quarundam Literarum spectantium.

Ç ç — — —	Pronunciatur sicut Hungaricum *tz*, Germanicum ʒ, Cyrillicum ц.
Ce, ci — —	Sicut Italorum *ce, ci*, Hung. *tse, tsi*, German. *tsche, tschi*, Cyrill. че, чи.
Ch, ch — —	Sicut *k*.
Ḑ, ḑ — — —	Sicut Hungaricum *z*, ac Cyrillicum ѕ.
É, é — — —	Sicut Diphtongus *ea*.
Ė, ė — — —	Sicut *i* Latinorum.
Ge, gi — —	Sicut Italorum *ge, gi*, ac Cyrillico-Valachicum џе џи.
J, j — — —	Sicut Gallicum *j*, ac Cyrillicum ж.
Ó, ó — — —	Accentu acuto notatum sicut Latinum *oa*.
Que, Qui —	Sicut Italicum *ce, ci*, Hung. *tse, tsi*, Cyrillicum че, чи.
Ş, ş — — —	Sicut Hungaricum *s*, Germanicum *sch*, Cyrillicum ш, ac Italicum *s*, ante *ce, ci*.
Ţ, ţ — — —	Sicut Latinorum *t* ante *i*, et post *i* sequente alia vocali, et Hung. *tz*, Germanicum ʒ, ac Cyrillicum ц.
ă, ĕ, ĭ, ŏ, ŭ —	Sicut Cyrillico-Valachicum ъ, ac Gallicum è.

CAPUT III.

De Diphtongis.

§. 5.

De Numero Diphtongorum.

Diphtongi in Lingva Daco-Romana tot sunt, quot vocales aliis vocalibus immediate subnexae pronunciantur ita, ut ex omni vocali dimidius tantum sonus audiatur. Ex Diphtongorum numero sequentes quatuordecim adferimus: ai, au, ea, ei, eu, ia, ie, ii, io, iu, oa, oi, ou, ui.

§. 6.

De Pronunciatione Diphtongorum.

Pronunciantur autem Diphtongi hoc modo.

1) In Diphtongo *ai*, sonus vocalis *a* integer, vocalis autem *i* dimidius tantum auditur, ut: mai, *magis*; vai, *vae*.

2) In Diphtongo *au*, sonus *a* integer, *u* dimidius auditur, ut: dau, *do*; stau, *sto*.

3) In *ea*, *e* vix auditur, *a* vero integrum sonum retinet, ut: muiierea mea; *uxor mea*; şedea, *sedebat*.

4) In *ei*, sonus *e* integer, *i* dimidius auditur, ut: Cetatei, *civitati*; comunitatei, *communitati*. Nonnulli ita efferunt, ut solum *i* audiatur, proinde dicunt: cetàti, comunitàti, per *ei* tamen semper scribendum, cum *ei* sit genitivus num. sing. articuli definiti generis foemini qui similis est Dativo.

5) In *eu*, sonus *e* integer, *u* dimidius auditur, ut: greu, *gravis*; rèu, *malus*:

6) In *ia*, *i* vix auditur, *a* integrum sonum retinet, ut: chiamà, *vocat*; fièntià, *essentia*; scièntià, *scientia*.

7) In *ie*, sonus *i* dimidius, *e* integer auditur, ut: diede, *dedit*; ieri, *heri*; hei, *heu*.

8) In *ii*, primum *i* sonum integrum servat, alterum *i* vix auditur, ut: fii, *filii*; sântii, *sancti*.

Hujus Diphtongi usus potissimum est in nominibus desinentibus in num. pl. in *i*, ac accipientibus Articulum definitum eiusdem numeri *i*, ut Ómènii, *homines ipsi*; Românii, *Romani*, séu *Valachi ipsi*.

9) In Diphtongo *io*, *i* sonus vix auditur prouti apud Italos, ut: giocu *vel* jocu, *ludus*, *jocus*; giosu *deorsum*; giacu, *jaceo*.

10) In *iu*, sonus *i* dimidius, *u* vix auditur, ut: ajutoriu, *adjutorium*; quod si nomini jungatur art. def. sonus *u* integer restituitur, et *i* vix auditur, ut: ajutoriul', *adjutorium illud*.

11) In *oa*, ex *o* et *a* quasi unus sonus coalescit, ita ut et *o*, et *a* tantisper audiatur, magis tamen sonus *a*; accedit tantisper ad *a* hungaricum, ut: moara, *mola*; soare, *sol*. Ceterum in Orthographia Romana sive Latino-Valachica *a* Diphtongi *oa* expungitur, ac *ó* notatur accentu accuto ad indigitandam pronunciationem *oa*. Vide litteram *Ó*.

12) In Diphtongo *oi*, sonus *o* integer, *i* dimidius auditur, ut: noi, *nos*; voi, *vos*; *ei*, illi.

13) In *ou*, sonus *o* integer, *u* dimidius enunciatur, ut: bou, *bos*; nou, *novus*.

14) In *ui*, sonus *u* integer, *i* dimidius auditur, ut: cui, *cui*; fui, *fui*; avui, *habui*; tăcui, *tacui*.

Porro, sicut quaelibet vocalis seorsim praeseferre potest sonum obscurum, sive strictissimum, ita etiam in Diphtongo una ex iis, quae constituunt Diphtongum, recipere potest interdum sonum obscurum, manente quantitate soni alterius vocalis supra declarata, ut: dăi, *da ei*; rèu, *malus*; tùi, *tui*; sùi, *sui* etc.

Denique Daco-Romani gaudent etiam triphtongis, e. g. fiiu *filius*; puiu, *pullus*; moiu, *mollio* etc.

CAPUT IV.

De Accentibus.

§. 7.

Accentus apud Daco-Romanos sunt duo, accentus acutus ('), et gravis (`). Acuto notatur producenda syllaba prima, media, et ultima, e. g. bátere, *batuere*; culégere, *colligere*; avére, *habere*; gravis solam ultimam in vocalem desinentem afficit, ut: fù, *fuit*; amù, *modo*; tăcù, *tacuit*, etc.

Accentus acuti rarior est in Orthographia Daco-Romana usus, praeterquam in é, dum uti Diphtongus *ea* pronunciandum venit, quo in casu ad faciliorem reddendam lectionem accentuari debet. (Vide Litteram *E*.) Pariter o longum, dum proferendum est uti Diphtongus *oa*, notari debet accentu acuto. (Vide Litteram *O*.)

In dictionibus vero aequivocis, quarum aequivocatio solo accentu tollitur, ad determinandum sensum, quem intendimus, uti debemus accentu, e. g. dormi, si prima Syllaba notetur accentu, (dórmi), significat *dormis*; si ultima (dormì) significat *dormivit*. etc.

CAPUT V.

De Apostropho.

§. 8.

Apostrophus est quoddam signum instar medii circuli hujus figurae ('), qualis est etiam spiritus lenis apud Graecos, quo nos designamus sonum obscurum sive strictissimum vocalium, quocum confundi non potest Apostrophus, cum hic collocetur ad latus literae, spiritus vero lenis, ac signum soni obscuri supra literam. Vide Cap. II. §. 3.

Apud Daco-Romanos sive Valachos in libris Cyrillicis literis editis nuspiam visitur apostrophus, exceptis

poeticis, ubi creberrime adhibetur e. g. Maȣ тъшкат (mau tăşcat). *me taxavit*, pro M'aȣ (m'au) etc.

In Orthographia autem Romana sive Latino-Valachica iam frequens est apostrophi usus, praecipue respectu articulorum definitorum, et Verborum auxiliarium, ac Pronominum, *me, te, se*, e. g. Domnul', *Dominus*; serbul', *servus*; l'au bătutu, *ipsum verberavit*, pro (lu au batutu) m'au lăudatu, *me laudavit*, pro (me au), etc.

CAPUT VI.

De Divisione Syllabarum.

§. 9.

Syllabarum divisio haud arbitrarie est facienda, sed sicut compositae fuerunt, ita etiam dividendae sunt. Itaque:

1) Consonans una inter duas vocales constituta semper conjungitur cum sequente, ut: a-ra-re, *arare*; tă-ce-re, *tacere*; cu-le-ge-re, *colligere*; au-ḑi-re, *audire*.

2) Si vox sit composita debet dividi salva compotitione, proinde indaganda origo, ut: de-pu-nu, *depono*; a-pu-nu, *humilio*, *occido*; pre-pu-nu, *suspicor, praepono*; re-pu-nu, *repono, sepono*; des-căn-tu, *incanto*; res-co-ptu, *recoctum*; des-ju-ga-tu, *disjunctus*; des-fré-na-tu, *effraenatus*; rés-bu-nu, *bonifico*, etc.

3) Quando duae consonantes concurrunt, una attribuitur antecedenti, altera sequenti syllabae, ut: ar-me, *arma*; fór-te, *valde*; Is-ra-il, *Israel*; mer-ge, *migrat*; ster-ge, *stergit*; lin-ge, *lingit*; nin-ge, *ningit*.

4) Si vero duae consonantes fuerint *gr, mn, pt, sm, st, sc*; etc. utraque donatur sequenti vocali, ut ne-gru, *niger*; Do-mnu, *dominus*; la-pte, *lac*; pi-sma, *invidia*; Ni-stor, *Nestor*; cu-no-scu, *cognosco*, etc.

5) Denique si tres fuerint consonantes, omnes tres tribuuntur sequenti vocali, ut: cà-pì-stru, *capistrum*, no-stru, *noster*; vo-stru, *vester*, etc.

Diphtongus, imò et triphtongus, quoniam unam syllabam constituit, nunquam dividi debet, e. g. die-de, *dedit*; ce-tăței, *civitati*; chia-mà, *vocat*; sci-èn-tià, *scientia*, etc.

PARS SECUNDA.

ETYMOLOGIA.

CAPUT I.

De Partibus Orationis Lingvae Daco-Romanae.

§. 1.

Partes Orationis Lingvae Daco-Romanae sunt novem, scilicet: Articulus (Articulul'). Nomen (Númele.) Pronomen (Pronumele). Verbum (Verbul'). Participium (Participul'). Adverbium (Adverbul'). Praepositio (Prepositia). Conjunctio (Conjuntia). Interjectio (Interjetia).

Ex his novem Orationis Partibus quinque priores, nempe: Articulus, Nomen, Pronomen, Verbum, et Participium sunt flexibiles. Reliquae autem quatuor posteriores; Adverbium, Praepositio, Conjunctio, et Interjectio flexionis expertes.

CAPUT II.

De Orationis Partibus flexibilibus.

§. 2.

De Articulo.

Quum in Lingva Daco-Romana Nomina per sòlos Numeros, non etiam per casus declinentur, Articuli, quibus praeter genera casus quoque indicantur, perpetuo adhibeantur est necesse.

Est autem Articulus in Lingva Daco-Romana duplex: unus definitus *il, lu, le,* generis masculini, et *a,*

oa vel *la*, generis foeminini, qui rem determinat; alter indefinitus *unu*, *una*, qui rem nequaquam determinat.

§. 3.

De signis Articuli.

Signa Articuli sunt: 1. Genus (Genul'). 2. Numerus (Numérul'). 3. Casus (Casul').

I. Genera sunt duo: Masculinum (Bărbătescu), et Foemininum (Femeescu).

1. Generis Masculini est Articulus definitus *il*, *lu*, *le*, aequivalens Articulo Italico *il*, *lo*; Gallico *il*, *le*, Germanico der, Hungarico *a'*, vel *az*; et postponitur Nominibus substantivis Generis masculini hoc modo: Socru-'l, *socer*; Frate-le, *Frater*; Nepotu-lu, *Nepos*.

2. Generis Foeminini est, *a*, *oa* vel *la*, aequivalens Italico et Gallico *la*, Germanico die, hungarico *a'* vel *az*, ut: casa-a, *domus*; punte-a, *pons*; vergé-oa, *vel* vergé-la, *virga*.

II. Numeri sunt duo: Singularis (Singuratecu) et Pluralis (Multoratecu).

1. Numerus Singularis adhibetur, quando de una re tantum vel persona sermonem instituimus. e. g. Nepotulu, *nepos*; lumina, *lumen*; stéoa, *stella*.

2. Numerus Pluralis usurpatur, quando de pluribus rebus, aut personis sermo fit. e. g. Nepoti, *nepotes*; lumine, *lumina*; stéle, *stellae*.

III. Casus sunt sex:

1. Nominativus (Numitoriul')
2. Genetivus (Nascitoriul')
3. Dativus (Dătătoriul')
4. Accusativus (Acusătoriul')
5. Vocativus (Chiămătoriul')
6. Ablativus (Luvătoriul')

Nom. ponitur ad quaestionem quine? *quis*? e. g. omul', *homo*.

Gen. ponitur ad quaestionem a cui? *cuius*? e. g. a omului, *hominis*.

Dat. Ad quaestionem cui? *cui*? e. g. Omului, *homini*.

Accus. Ad quaestionem pre quine? *quem*? e. g. pre Omul', *hominem*.

Abl. Ad quaestionem dela quine? *aquo*? e. g. dela omul; a *homine*.

§. 4.

Declinatio Articuli definiti il, lu, le; a, oa vel *la*.

Singularis.

	Mascul.			Foemin.	
N.	il, lu.	le.	ul.	a,	oa vel la.
G.	a lui.	lui.	ului.	a ei-ii,	lei-lii.
D.	lui.	lui.	ului.	ei-ii,	lei-lii.
A.	pre il, lu.	le.	ul.	a,	oa-la.
V.	le.	le.	le.	á,	oa-la.
Abl.	dela il, lu.	le.	ul.	a,	oa-la.

Pluralis.

	Mascul.	Foemin.
N.	i.	le.
G.	a lor.	a lor.
D.	lor.	lor.
A.	pre i.	pre le.
V.	i, lor.	e, i, lor.
Abl.	dela i.	dela le.

§. 5.

De Usu Articuli definiti.

Articulus conjungitur cum Nomine secundum has regulas.

I. Articulus *il*, *lu*, *le*, conjungitur cum Nominibus substantivis, quorum alia in *u*, *au*, *iu*; alia in *e*, desinunt.

1. Articulus *il* et *lu* promiscue ponitur post substantiva Generis masculini, quae exeunt in *u*, *iu*, separatim aut conjuncte. e. g. lotru'l, *vel* lotrul', *latro*; ceriu'l, *vel* ceriul', *coelum*.

Nota 1. Ex Articulo *il*, *i* propter praecedentem vocalem, dum cum substantivo quod in vocalem desinit conjungitur, semper exmittitur, et eius locum suplet apostrophus, ut in allatis exemplis videre est.

Nota. 2. Sic etiam ex Articulo *lu*, *u* cum sit semivocalis et in fine non edat sonum semper exmittitur, et eius locum supplet apostrophus, tunc vel maxime si sequens vox a vocali incipiat, e. g. omul' aquestu, *hic homo*.

2. Articulus *le* postponitur substantivis masculini generis in *e* desinentibus. e. g. Câne-le, *canis*; pàriete-le, *paries*; serpe-le, *serpens*.

Observandum. Praeter dictos tres Articulos, *il*, *lu*, *le*, Daco-Romani interdum adhuc adhibent etiam Articulum *ul*, verum illum solum cum Nominibus in consonantem desinentibus conjungunt, quae admodum sunt pauca; e. g. Os-ul, *os-ossis*; vas-ul, *vas-vasis*; uger-ul, *uber*; ager-ul, *acer*. Hujus Articuli declinationem vide §. 3. cum reliquis Articulis.

II. Articulus definitus foeminini generis *a*, *oa*, vel *la* conjungitur cum Nominibus substantivis foeminini generis, quorum, quaepiam in *ă*, alia in *e*, alia vero in *ea* exeunt.

1. Articulus *a* postponitur Nominibus quae in ă exeunt, quod ă dum cum Articulo conjungunt, amittunt, et eius loco succedit Articulus *a*; v. g. masă, masa, *mensa*; lună, luna, *luna*; muscă, musca, *musca*.

2. Articulus *a* postponitur Nominibus, quae in e exeunt. v. g. puncte-a, *pons*, frunte-a, *frons*, flóre-a, *flos*; óue-a, *ovis*; mènte-a, *mens*.

3. Articulus *oa* vel *la* postponitur Nominibus desinentibus in *ea* vel *é* accentu acuto notatis, v. g. rùndinea, *vel* rùndiné, cum Articulo erunt rùndunéoa *vel* rùndiné-la, *hirundo*; purcé, purcé-oa *vel* purcela, *porcella*.

§. 6.

De Articulo Indefinito, eiusque Declinatione.

Articulus Indefinitus est *unu* generis masculini, et *o* vel *una* generis foeminini; declinatur autem hoc modo:

Singularis.

	Masc.	Foem.
N.	Un' Unu.	O *vel* Una.
G.	a Unui.	a unéi - unii.
D.	Unui.	unei - unii.
A.	pre Unu.	pre o - una.
V.	*c a r e t.*	*c a r e t.*
Abl.	dela Unu.	dela o-una.

Pluralis.

	Masc.	Foem.
N.	Unii	Une *vel* unele.
G.	a unora	a unor - unora.
D.	unora.	unor - unora.
A.	pre unii.	pre une - unele.
V.	*c a r e t.*	*c a r e t.*
Abl.	dela unii.	dela une-unele.

De usu Articuli indefiniti sermo erit in Syntaxi Articulorum.

CAPUT III.

De Nomine.

§. 7.

De Nomine Generatim.

Nomen est, quod rem aliquam, vel personam, aut eius proprietates designat; e. g. Nepotu, *nepos*; érbă, *herba*; pórtă, *porta*; mână, *manus*.

Nomina in Lingua Daco-Romana per casus invariata manent, et solum Articuli flectuntur, qui dum cum Nominibus conjunguntur eorum Genera, Numeros, et Casus definiunt.

§. 8.

Divisio Nominum.

I. Nomina dividuntur, in *Nomina Substantiva* (substantive), et in *Nomina Adjectiva* (ajctive).

1. *Nomen substantivum* est, quod rem aliquam vel Personam denotat, e. g. Ostașu, *ostiarius* sive *miles*; călămariu, *atramentarium*; furcă, *furca*; scólă, *schola*; Vasilie, *Basilius*, etc.

2. *Adjectivum* est, quod proprietatem rei alicujus, aut personae significat. e. g. mare, *magnus*; sântu, *sanctus*; grasu, *crassus*, *pingvis*; formosu, *formosus*; inaltu, *altus* etc.

II. Nomen substantivum pluribus gaudet nomenclationibus: est enim vel *Proprium*, vel *Commune*, vel *Collectivum*.

1. *Proprium* est, quod res certas significat, et eo saltem rem unam indicare possumus. e. g. Ungaria, *Hun-*

garia; Buda, *Buda*; Viena, *Vienna*; Dunărę, *Danubius*; Michail, *Michael*; Joan, *Joannes*, etc.

2. *Commune est*, quod res incertas denotat, et pluribus rebus, aut Personis potest tribui. e. g. Impěratu, *Imperator*; Chesar, *Caesar*; cětate, *civitas*: Residentiă, *Residentia*.

3. *Collectivum* est, quod iam in Singulari Numero multitudinem indicat; e. g. Poporu, *Populus*; ghinte, *gens*; turma, *turma*, sive *grex*; cétă, *coetus*; óste, *exercitus*.

§. 9.

De Textura Nominum.

Nomina sunt:

1. *Simplicia* (simple.)

2. *Derivata* (deduse.)

3. *Composita* (compuse.)

I. De Nominibus simplicibus.

Simplicia Nomina sunt, quae non aliunde deducuntur, sed a se ipsis, et in se suam habent radicem; e. g. Domnu, *Dominus*; Orașu, *Oppidum*; albu, *albus*; roșu, *ruber*, rŏtundu, *rotundus*. etc.

II. De Nominibus derivatis.

Derivata Nomina sunt, quae a simplicibus derivantur; ut sunt: domnescu, *dominalis*; cětătianu, *civitatensis*; albetiu, *subalbus*, *candidus*; negretiu, *nigrescens*; derivantur, a substantivis simplicibus: Domnu, cětate, albu, negru.

Nota. Huc pertinent omnia Nomina ab aliis Nominibus aut Verbis derivata; uti sunt: direptate, *iustitia*; amăraciune, *amaritudo*; omenie *vel* omenire, *humanitas*; vedere, *visio*; căntătoriu, *cantator*; căntecu, *canticum*.

1. Formatio Adjectivorum ex substantivis, quae fiunt accipiendo post se sequentes Particulas, uti sunt: *anu*, *eanu*, *alu*, *alnicu*, *escu*, *etiu*, *iu*, *osu*.

a) In *anu* vel *eanu*, formata Adjectiva indicant, cujus Patriae, Regionis, aut Loci quispiam sit; e. g. Italianu, *Italus*; Alemanu, *Germanus*; Moldovanu, *Moldavus*; Munteanu, *Montanus*; silășanu, *silvanus*; sâteanu, *pagensis*; campénu, *campestris*.

b) In *al*, aut *alnicu*, desinentia Adjectiva indicant eorum significationem convenire cum ea, unde suam trahunt originem; e. g. Naționalu, *nationalis*; poporalu, *popularis*; vel naționalnicu, poporalnicu; e. g. Invâtiâtoríu nationalu, *Professor*, vel *Praeceptor nationalis*; idest: Invâtiâtoriul' Natiei, *Praeceptor Nationis*.

c) In *escu*, indicant Nomina derivata adhuc esse in possessione vocis radicalis; e. g. domnescu, *dominalis*; Episcopescu, *Episcopalis*; uti; Calu domnescu, *equus Dominalis*; Residentiă Episcopéscă, *Residentia Episcopalis*, idest: Calul' este a Domnului, Residentia este a Episcopului, *equus est Domini*, *Residentia et Episcopi*.

d) In *osu*, indicant Nomina derivata proprietatibus Nominum substantivorum radicalium ex integro gaudere; e. g. apâtosu, *aquosus*; nodosu, nodosus, id est: plénu de apă, plénu de noduri, *aqua, nodis plenus*.

2. Nomina substantiva ab aliis substantivis deducta, fiunt accipiendo post se sequentes Particulas: *du*, aut *utiu*, vel *ișoru*, *ime*, *oiu*, vel *ocu*, *âțu*, vel *etu*, *ie*.

In *âu*, *utiu*, vel *isoru*, formata substantiva indicant significationem vocum radicalium esse imminutam; e. g. Domnicelu, Domnutiu, Domnișoru, *Domicellus*; purcelu, porcutiu, *porcellus*.

In *ime*, indicant, plures eiusdem generis res in unam esse collectas, v. g. Omenime, *hominum mul-*

titudo; grăsime, *pinguedo*; pădurime, *locus silvis obsitus.*

In *oiu* vel *ocu,* indicant significationem vocum radicalium esse auctam, v. g. Omoiu *vel* Omocu, *homo valde magnus*; căloiu, *vel* călocu; *equus admodum magnus*; haec proveniunt a substantivis: Omu, Calu.

In *ătu* vel *etu,* indicant, multitudinem rerum, vocis radicalis. e. g. Prunetu, *Prunètum*; spinetu, *spinetum*; pomătu *vel* pomariu, *pomarium.*

In *ie* indicant Nomina derivata proprietates Vocis radicalis in magno gradu possidere, e. g. Cămpie, *solitudo, locus campestris*; ură, *odium*; urgie *magnum odium.*

3. Nomina substantiva ab Adjectivis derivata fiunt assumendo Particulus has: *étiă, ime, ĭtate, ciune.*

In *étiă,* indicant Nomina derivata habere proprietates vocis radicalis. v. g. Albétiă, *albedo*; negrétiă, *nigredo*; roşétiă, *rubor*; veniunt ab Adjectivis: albu, negru, roşu.

In *ime,* indicant omnibus proprietatibus vocis radicalis gaudere, e. g. Inălţime, *altitudo,* roşime, *rubor*; lungime, *longitudo*; lăţime, *latitudo*; veniunt ab Adjectivis: inaltu, roşu, lungu, latu.

In *ĭtate,* indicant proprietatem vocis radicalis integram. e. g. Bunĭtate, *bonitas*; Crestinitate, *Christianitas,* vel *Christianismus*; direptate, *rectitudo, iustitia*; proveniunt ab Adjectivis: bunu, crestinu, direptu.

In *ciune,* pariter indicant, habere proprietatem vocis radicalis vocem derivatam. e. g. Inţelepciune, *sapientia, intellectus*; amărĭciune, *amaritudo,* morticiune, *cadaver,* vel *morticinum*; derivantur ab Adjectivis: inţeleptu, amaru, mortu.

4. Nomina Adjectiva ab aliis Adjectivis derivata fiunt accipiendo Particulas sequentes: *etiu, iu, utiu, işoru.*

In *etiu, iu*, denotant partem tantum proprietatis vocis radicalis. e. g. Orbetiu, *caecutiens;* albenetiu, *subalbus;* măretiu, *elatus;* veniunt ab Adjectivis: orbu, albu, mare. Negreciu, *nigrescens;* albeciu, *albescens;* ab iisdem Adjectivis.

In *utiu, işoru* indicant imminutionem significationis vocis radicalis. e. g. Bunutiu, bunişoru, *bonellus,* grosutiu, grosişoru, *crassus utcunque* vel *crassiulus.*

Observatio. Praeter superius adducta derivata Nomina adhuc observari merentur ea, quorum ideae mente tantum a nobis comprehenduntur; ex quibus quaepiam a simplicibus Nominibus, alia vero a verbis derivantur. Itaque:

1. Nomina a simplicibus derivata.

Haec formantur adsciscendo Particulam *ie*, vel *tate*; v. g. a Frate, *Frater,* venit: frătie, et frătietate, *fraternitas;* a sociu, *socius,* venit: soçie, et soçietate, *societas.*

Simili modo formantur etiam ab Adjectivis deducta, v. g. Tare, tărie, *fortitudo;* mare, mărime *vel* mărire, *magnitudo, gloria.*

2. Nomina a Verbis derivata.

In *are, ere, ire.* Haec indicant ipsam actionem, uti: vênare, *venatio;* tăiere, *sectio;* spargere, *infractio;* negrire, *nigretia, nigredo.*

Nota. Haec substantiva sunt simul Infinitivi Verborum primae, secundae, tertiae, et quartae Conjugationis.

In *êntu,* indicant complexum proprietatis vocis radicalis. e. g. a juru, *juro,* venit: juramêntu, *juramentum;* a credu, *credo,* venit: credemêntu, *fides,* vel *ipse actus credendi.*

In *atu*, *itu*, indicant, quali re quispiam occupatur. e. g. Negotiâtoritu, *negotiatio*; Directoratu, *Directoratus*.

In *ura*, indicant hoc quod factum est, ut: Fertura, *coctio* vel *coctura*, i. e. *quod coctum est*; scriptura, *scriptura*, i. e. *quod scriptum est*; faptura, *factura*, i. e. *quod factum est*.

In *ală*, haec indicant ipsam materiam, qua aliquid perficitur; e. g. negreală, *nigrities* vel *ipse color niger quo aliquid tingitur*; urdială, *materia ad texturam necessaria*; roşélă, *color ruber*; albélă, *color albus*.

In *oriu*, vel *ore*, ipsam personam agentem indicant, e. g. Arătoriu, *arator*; săpătoriu, *fossor*; scriitoriu, *scriptor*; i. e. *qui arat*, *fodit*, *scribit*.

III. De Nominibus Compositis.

Nomina Composita fiunt ex simplicibus adsciscendo sibi aliam vocem, aut Particulam cum, vel sine conjunctione. Itaque:

Fili! si sequutus fueris consilia mea nullum malum te assequetur. Ierusalime! Ierusalime! de quôte ori te amu cercetatu si amu câutatu si adunu pre fii tûi, qua quum, adunâ gâlina puii sûi; *Ierusalem! Ierusalem! quoties te quaesivi, et investigavi ut congregém filios tuos, sicut congregat gallina pullos suos.*

§. 11.

De Ablativo.

Ablativus sequitur post Praepositiones: Cu, *cum*; de, *de*; dela, *a*, *ab*; din, *e*, *ex*. Praepositio *cu* adhibetur:

1. Quando Nomen substantivum significat instrumentum, vel modum quo aliquid fit. e. g. Taie *cu* securé, *scinde securi.* Punge *cu* cuțitu'l, *punge cultro.* Indrépta 'l *cu* svatul', éró arare *cu* bataé, *dirige vel emenda eum consilio raro autem verberibus.*

2. Quando significant mensuram. e. g. Georgie *cu* un policariu este mai inalt de quât méne, *Gergius uno police est altior me.* Grâdina (Ital. giardino) nostrâ *cu* doâ iugere este mai mai mare de quât' a vóstrâ, *hortus noster duobus jugeribus est major quam vester.*

Praepositio *de* concordat:

1. Cum Nominibus Adjectivis incrementum et decrementum denotantibus. e. g. Plênu *de* mânie, *ira plenus.* Plênu *de* rêutate, *plenus malitia.* Intristatu *de* Parenții sûi, *constristatus a suis Parentibus.*

2. Cum Adjectivis mensurarum Praepositio *de* ponitur triplicate; id est: ante Numerum, ante Nomen mensurans seu mensuram denotans, et ante Adjectivum. e. g. Un vas *de* Optudeci *de* cupe *de* mare, *Unum vas Octoginta cupparum magnum.*

Si vero Adjectivum praeponatur tunc accipitur absque Praepositione *de.* e. g. Un vas micu *de* doêdeci *de* cupe, *unum vas parvum viginti cupparum.*

Pariter si numerus fuerit infra viginti tunc neque substantivum mensurae recipit Praep. *de*. e. g. Una fôntână (Ital. fontana) *de* patru stângeni afundâ; *Unus fons quatuor orgyarum profundus.*

3. Cum Nominibus substantivis, quae partem tantum integri, aut proprietatem Personae, vel characterem cujusdam denotant. e. g. O turma *de* oui, *unus grex ovium.* Una scafâ *de* apa, *unum scaphium aquae.* O bunitate *de* omu, *bonitas hominis.* Omu de omenie, *homo honestus.*

4. Inter duo Nomina substantiva, quae simul sensum substantivi compositi efficiunt, quae in Lingua Daco-Romana sicut in Gallica et Italica in unum conjunguntur cum Praepositione *de*. e. g. Domnu *de* pâmêntu, *Dominus terrestris.* Tâietoriu *de* lemne, *lignisecа.* Jubitoriu *de* ómeni, *amans hominum.*

5. Post Nomina, quae affectationem, vel cupiditatem denotant. e. g. Volitoriu *de* bêne, *benevolus.* Grâitoriu *de* rêu, *maliloquus.*

6. Indicando possibilitatem, vel impossibilitem rem aliquam perficiendi. e. g. Muntele aquestu ê greu *de* suitu, *mons hic est difficilis ascensu.* Casa aquésta è buna de lôcuitu, *domus haec est bona ad habitandum.* Vinea (viia) este aquum *de* sapâ, *vel de* sâpatu, *Vinea est nunc fossilis*, i. e. *tempus adest quo vinea fodi potest.*

7. Ante Adverbia et Nomina substantiva temporis ad interrogationem de quându este queva? *ex quo tempore est aliquid?* de quâti ani este Beserica aquésta? *Ex quo tempore?* vel *quot annorum est haec Ecclesia?* De doâdeci de ani, *viginti annorum.* De quându esci aiçe? de alaltâ eri, *a quo tempore es hicce? a pridie.*

8. Loco Accusativi ponitur, permutando eam cum Praepositione, pentru *propter*; ut: loco ut dicamus: Ascultâmê pre mêne, *ausculta me.* Ţêne aquestu calu, *tene hunc equum.* Georgie multe bune au grâitu pen-

tru têne, *Georgius multa bona locutus est propter te*, vel *de te*. Possumus dicere: Ascultă *de* mêne; ţêne *de* calul aquestu; Georgie multe bune au grăitu *de* têne.

9. Post Interjectiones: Vai, amaru, ferice; sic etiam post haec vocabula: rêu, *bêne*. e. g. Vai *de* călcători de lege, *vae transgressoribus legis*. Amaru de serbu'l ne credinciosu, *vae servo infideli*. Ferice *de* toti direpti, *felices omnes iusti*. Rêu *de* quei qui nu păsêscu direptatea, *male cum eis, qui non custodiunt iustitiam.*

10. Post Nomina Substantiva in finem aliquem designata. e. g. Amu comparat un calu *de* călăritu (Ital. cavalcare), *emi unum equum ad equitandum.* Amu tocmitu doi ómini *de* săpatu la grădină, *conduxi duos homines ad fodendum in horto.*

Praepositiones, *dela*, et *din* ponuntur tantum post verba, quae discessum aut evacuationem designant. e. g. Dulu *dela* mêne, *aufer illum a me*. Scótelu *din* casa, *excute* sive *ejice eum ex domo.*

CAPUT III.

De Syntaxi Pronominum.

§. 12.

De Usu Pronominis Personalis.

Pronomen Personale perpetuo ponitur loco Nominis alicujus Personae. e. g. Petru trecêndu pe lôngê scóla m'au intrebatu de têne, si io nu l'amu fostu cunoscutu pre el, nêquê i amu datu lui respunsu, *Petrus transiens* vel *transeundo penes Scholam me interrogavit de te, et ego illum non cognoveram, neque ei dedi responsum.*

Pronomen tertiae personae *el, ea,* quando pluries in eadem constructione occurit, tunc euphoniae caussa cum Pronomine, dênsul, dênsa, *ipse, ipsa,* (Ital. desso dessa,) permutatur. e. g. La Fratele meu pentru inţelepciunea lui multi vênu al' cercetare pre el, si a quetere svatu delà dênsul, *ad Fratrem meum propter sapientiam illius multi veniunt, ad inquirendum illum, et consilium ab ipso petere.*

Pronomen dênsul multoties ponitur etiam loco Pronominis, el ênsusi, ea ênsasi, *ille ipse, ea ipsa* (Ital. esso, essa.) e. g. Dênsul' au fostu la noi, *ipse fuit apud nos.* Dênsa au fostu cu mêne, *ipsa fuit mecum.* Loco ut dicamus: El ênsusi au fostu la noi, *ille ipse fuit apud nos*; ea ênsasi au fostu cu mêne, *illa ipsa fuit mecum.*

§. 13.

De Usu Pronominum Reciprocorum.

Pronomina Reciproca adhibentur quando requitur, ut actio, ex parte agentis seu actionem ponentis intelligatur. e. g. Agonisit'au, siesi visteriu, quel, qui in têneretie scientie formóse au adunatu, *acquisivit-sibi ipsi thesaurum ille, qui in iuventute pulchras scientias congregavit* (*adunavit*). Inpartit'au vestmintele méle lorusi, *diviserunt vestimenta mea sibi.* Id est: *Qui scientias congregavit propter se ipsum, thesaurum acquisivit. Qui diviserunt vestimenta propter se, pro se, et inter se ipsos, ea diviserunt.* Si vero dixero: inpartit'au vestmintele méle loru, *diviserunt vestimenta mea illis*; hic iam intelligitur, dividentes pro aliis vestimenta divisisse, non pro se.

Exempla: Fiiu'l vecinului meu si fiiu'l Unchiu meu se certau intre sêne, si superveniêndu intraquea vecinu meu, batù pre fiiu'l lui, *Filius vicini mei, et filius Avunculi meï certabant inter se, et superveniens vel superveniendo interea vicinus, percussit filium illius,* (*Avunculi*). Hoc modo filius percus-

sus est mei Avunculi; itaque ut intelligatur filium percussum esse illius qui ipsum percussit: debet dici: Vecinu'l meu au batutu pre fiul sŭu, *vicinus meus suum filium verberavit.* Non vero: pre fiiul lui.

Domnu meu au intrebatu pre sorá sŭa mergeva la Viena, *Dominus meus interrogavit suam sororem ibitne Viennam.* Hic intelligitur sororem esse mei Domini. Si autem dixero: Domnu meu au intrebatu pre sora lui; hic iam intelligitur soror alterius tertii non vero mei Domini.

§. 14.

De Usu Pronominum Conjunctivorum.

Pronomina Conjunctiva, quaedam sunt, quae formam Dativi, alia vero, quae formam Accusativi induunt.

I. De Pronominibus conjunctivis Dativi casus, *mi, ti, i, si; ni, vi, li.*

Haec Pronomina fere cum Ominibus Orationis partibus conjunguntur, maxime autem cum Verbis, quae eis quibuscum conjunguntur modo prae, modo postponuntur. Itaque:

1. Conjunctio seu associatio eorum cum Nomine substantivo. e. g. Fiiuti este aquestu au serbu? *Filius est iste tibi (tuus) aut servus?* Ba fiiu, *omnino filius.* Mumá vi aquéstá bétráná? Mumá, *Materne est vobis haec senex? Mater.* Quá alba ti facia, quam *alba est tibi (tua) facies.* Béne ti négra pileriea, *bene niger est tibi (tuus) pileus.*

2. Cum Pronomine: e. g. Aquestuti va fire Invétiátoriu, *iste erit tibi (tuus) Praeceptor.*

5. Cum Verbis, quibus prae, aut postponitur; in primo casu accipit ante se literam î seu Pronomen conjunctivum abbreviatum ex *lui* vel *ei*, aequivalens quasi Pronom. latino *illud* vel *hoc*; in secundo vero casu ad-

jungitur vocabulo ubi convenit. e. g. Jo ì ti credu, *vel* creduti, *ego* (*illud, hoc,*) *tibi credo.* Jo ì ti credui, *vel* credui-ti, *ego tibi credidi.* Jo ti amu credutu, vel credututi amu, *ego tibi credidi.* Jo ì ti voiu erede, *vel* credeti voiu, *ego tibi credam* (*hoc v. illud*).

Observatio. Haec Pronomina in Modo Conjunctivo et Optativo adhaerent Conjunctionibus sì, de, asi; vel ab iis separantur. e. g. Sìti, *vel* sì ti faci dàtorintia, *ut facias tuam obligationem.* Jo atunce mi asi vedè fericirea quànd' ar veni Patronul meu, *ego tunc meam viderem felicitatem quando v. si veniret meus Patronus.* Unde mi bène a colo mi è Patria, *ubi bene ibi mihi est Patria.*

Frequenter Pronomen Dativi in quibusdam connexionibus duplicate ponitur. e. g. Audórè ţie nuti pare rèu chè ai certatu pre Frate tùu, *aut fors tibi non* (*apparet malum*) *dolet quod corripueris fratrem tuum.*

II. De Pronominibus conjunctivis Accusativi casus: *me, te, se; ne, ve, se.*

Haec Pronomina adhibentur cum verbis Passivis, Deponentibus, et Reciprocis, queis modo ante, modo postponuntur. e. g. Frate meu se laudă de toti che s'au facutu cu moralitate, *Frater meus laudatur ab omnibus, quod factus sit moralis.* Bucurà te chè ai ajuns' in starea què poftità, *laetare, quod attigeris stationem vel statum optatum.* Màne me voiu duce la Patronul' meu sì i multiamescu, *mane v. cras ìbo ad meum Patronum ut ei gratias agam.*

Quando haec Pronomina ponuntur post verbum quod in consonantem aut *u* medii soni sive semi-vocalis desinit (alioquin Verba in Lingva Daco-Romana omnia in Praes. Ind. Praeteritis, Particip. Gerund. et Supinis exeunt in vocalem *u* medii soni), tunc in priori casu verbum recipit unum *u*; in altero autem *u* medii soni integrum sonum recuperat. e. g. Spaimèntatu s'au si s'au cutrèmuratu ostile Àngeresci vèdendu-te pre lem-

nu spânduratu Dómne, *perterriti sunt, et contremuerunt exercitus Angelorum videntes te tn ligno suspensum Domine.* Similiter dicitur: Jo te batu, *vel* batute io, *ego te batuo*; io ve batu, *vel* batuve-io; io v' amu fostu bâtutu, *vel* fostu v' am batutu io. Hic in primo casu *u* non sonat in secundo autem integrum habet sonum.

Pronomina Conjunctiva Accusativi casus propter magis penetrantem sensum frequenter duplicate ponuntur. e. g. 'Angerule bune apârâne pre noi de totu cugetul' rêu, *Angele bone custodi nos ab omni cogitatione mala.* Omule, pentru fâçernicia tûa nu te voiu leua pre têne şi fii pàrtaş desfâtârilor mêle, *homo, propter simulationem sive hypocrysim non te suscipiam ut sis particeps gaudiorum meorum.*

§. 15.

De usu Pronominum Possessivorum.

Pronomina Possessiva in Numero Singulari quando post Substantantiva ponuntur quae res animatas significant nullum recipiunt Articulum. e. g. Unchiu meu au dus'eri pe fiiul Vecinu lui sùu la scólà, *meus Patricus heri filium vicini sui duxit ad scholam.* Sora mea mi au inpletit una pareche de calçiuni (Ital. colza) *Mea soror mihi unum par calceorum plexit.*

Si vero haec ponantur post Nomina Propria, sive in Singulari sive in Plur. tunc Nomen retinet suum Articulum. e. g. Petrul' meu au fostu ieri la têne, *Petrus meus fuit heri apud te.* Fratii nostri multu s'au bucuratu de fericirea tûa, *Fratres nostri multum gavisi sunt de felicitate tua.*

§. 16.

De Pronomine Demonstrativo.

Pronomen Demonstrativum duplici modo sive forma accipitur; prout:

Mascul.	*Foem.*
Aquest *vel* aquestu.	Aquestă *vel* aquésta.
aquel — aquelu.	aquè — aquea.

In prima forma accipitur quando ponitur cum Nomine Substantivo; in secunda quando per se sine Nomine subsistit. e. g. Aquest omu ti au adusu calul? Aquestu, *iste homo tibi attulit equum? Iste.* Aquestă muliere au cules la vineă (vie)? Aquesta, *ista mulier collegit in vinea? ista.* Aquel bărbatu ti au adusu novéla (veste) de veniré Frate tŭu? Aquelu, *Ille vir tibi attulit nuntium de adventu Fratris tui? Ille.* Intru aquè casa fusesi ieri? Intru aquea, *Intra illam domum fuisti heri? Intra illam.*

Stat Pronomen *aquestu, aquelu*; *aquésta, aquea*; etiam cum Nomine, ast tunc Nomini debet postponi. e. g. Omul' aquestu multu bène mi au facutu, *homo iste multum boni mihi fecit.* Fecióra aquésta adese lucră la grădină, *ista Virgo frequenter laborat in horto.*

Distinctio inter Pronomen Demonstrativum: *aquestu*, et *aquelu* haec est, quod: Pronomen, *aquestu* semper indicet actionem quamdam propiorem, *aquelu* autem magis distantem. e. g. Georgie si Demetrie au purcesu la vie; aquestu pe calu, éró aquelu pedestru, *Georgius et Demetrius processerunt sive iverunt ad vineam; iste in equo, ille vero pedestris.* Martha si Maria făcéndu serbire lui Cristos; aquésta cu ascultaré invĕtiăturei, parte què mai bună si au alesu, éró aquea cu gătiré bucatelor de quele trecĕtóre cugetaa *Martha et Maria facientes sive praestantes obsequium Christo; ista auditione doctrinae partem optimam sibi elegit; illa vero praeparatione ciborum de transitoriis cogitabat.*

Pronomen *aquelu* frequenter venit in responsum Pronomis relativi *quarele.* e. g. Quarele nu ascultă pre Părénţii săi dupó cuviéntiă; aquelu odinióră intr'asemine tipu dela fiii săi va leua respletire, *qui non aus-*

cultat (obtemperat) suos Parentes secundum convenientiam; ille aliquando simili modo a suis filiis remunerationem accipiet. Quel, què, adhibetur, quando personam aliquam, aut rem ab aliis bonitate, vel vilitate discrepantem indicamus. e. g. Vedut' amu nuorul' quel portàtoriu de luminà, *vidi nubem illam luciferam.* Jungiéti viţelul quel grasu, *occidite vitulum illum pingvem.* Stéoa què mai luminósà se chiàmà lucéfèr, *luminosissima stella vocatur lucifer.*

Ponitur *quel*, etiam post Pronomen *aquestu.* e. g. Aquestu este fiiu'l meu quel iubitu, *iste est filius meus dilectus.* Pronomen demonstrativum io ènsumi, *ego ipse*; tu ènsuţi, *tu ipse*; el ènsusi, *ille ipse*, et ea ènsasi, *illa ipsa* indicans ipsam personam agentem, cavendum ne loco Adjectivi singur, *singulus* sive *solus* ponatur; aliud enim est dicere: El ènsus' au fost' aice, *ille ipse fuit hicce:* et aliud: el singur' au fost' aice, *ille solus fuit hicce.* Nam dum dico: el ènsusi, intelligitur ille persona sua, ubi etiam alii potuerunt esse cum illo; sivero dico: el singur, intelligitur, alios cum illo non fuisse.

Exemp. plura. Vindecàte pre tène ènsuţi de esci Doctor, *sana te ipsum si es Doctor.* Ea ènsas' au ţe sut' aquéstà pènsà, *illa ipsa texuit istam telam (pensum).* Ensivè prin necumpètata vóstra vietuire vaţi càusatu vouì aquéstà neputintià, *vos ipsi per incompetentem vestram vitam vobis hanc impossibilitatem causastis.*

§. 17.

De Usu Pronominum Interrogativorum: quare? quine? que?

Pronomen, *quine?* est commune utrique generi, et adhibetur quando interrogamus de personis sive masculinis sive foemininis, et semper stat sine Nomine. e. g. Quine au fost' aqui? *Quis fuit hic?* non vero dicimus: quine om' au fost' aqui? *aut:* quine muiiere au fost' aqui.

Ast Pronomen *quare?* ponitur cum, et absque Nomine respiciens Genus Nominis. e. g. Quare om' au adu-

su cartea? *Quis homo attulit epistolam?* Quare muiiere au aprinsu lumîna? *Quae mulier accendit candelam?*

Pronomen *que?* hoc ad interrogationem ponitur cum et sine Nomine; quando autem conjungitur cum *quine?* non suffert penes se Nomen. e. g. Que Domnu? que Princésă au sosit' ieri a icé? *Qualis Dominus? Qualis Princessa pervenit heri hucce.* Quine que invatiă, aquea sci, *quis quid discit, hoc scit.* Hoc Pronomen *que?* praecipue adhibetur in interrogationibus de rebus inanimatis. e. g. Que se vede acolo? *quid ibi videtur?* Que lemnu stă aqui? *quale lignum stat hic?* Que cal' ai adusu? *qualem equum adduxisti?*

§. 18.

De usu Pronominum Relativorum: Quarele, quarea; quel qui, quea que.

1. Pronomen *quarele, quarea,* ponitur loco Nominis substantivi alicuius personae aut rei, in eadem orationis serie prius recurrentis, ac eiusdem sensum in se reducit. e. g. Fugi de sufletul' ne satiosu, quarele caută tóte la sêne si le apuce, *fuge animam insatiabilem, quae quaerit omnia ad se rapere.* Sănĭtaté si învătiătura in socite cu intelepciuné sunt vistierii, quare nu le póte răpi furul', nequi focul' póte si le ardă, nequi apa si le innece, *sanitas et scientia (doctrina) consociatae cum sapientia sunt thesauri, quos non potest fur rapere, neque ignis consumere, neque aqua suffocare.*

2. Pronomina *quel qui, quea que,* ponuntur loco Pronominum, *aquelu quarele; aquea quarea.* e. g. Davor' odinioră respunsu Parentii quei qui pentru lăcomie inpedecă pre fii súi dela scóla, *dabunt aliquando responsum illi Parentes, qui propter avaritiam impediunt filios suos a scola* Id est: *illi Parentes rationem reddent, qui filiis media procurandarum scientiarum subtrahunt.*

3. Pronomen *qui*, brevitatis causa saepe ponitur)co Pronominum Relativorum *quarele*, *quarea*; *quel ui*, *quea que* ut: Ost'asi pâdindu mormentu'l lui Critos' au amorţitu de strâlucîré Angeru 'lui, qui s'au ratatu, *vel* quarele s'au arâtatu, *Milites custodien-*:s *sepulchrum Christi torpuerunt, sive torpescentes acti sunt prae splendore Angeli, qui apparuit.*

§. 19.

De Usu Pronominum Indefinitorum.

Pronomina Indefinita adhibentur quando loquimur e rebus incognitis, ubi tantum speciem nominamus, ersonam vero vel rem non determinamus. e. g. Óre iarele pruncu n'au venitu la scolâ, *quidam puer non* *enit ad scholam.* Nesquine dintre vecini au intrat' asta pte in grâdina nostrâ, *quispiam ex vicinis intravit ac noctè in nostrum hortum.* Fórâ invâtiâturâ si purre bunâ nimene nu se póte face fericitu, *absque scien-a et proba comportatione nemo potest se feliciem* *ddere.*

Pronomen indefinitum *unu*, *una*, in pluribus cabus adhibetur; prout:

1. Quando indicamus aliquid indeterminatum. e. g. unu a fire intrat eri un taur' in ţérinâ, *narrant in-asse heri unum taurum in terrenum*; *vel* spunu ire intrat eri órequi tauru, *vel* óre quare taur' in ţénâ, *dicunt intrasse heri aliquem taurum v. quem-m taurum in terrenum.*

2. Quando aliquem valde extollimus, aut valde deimimus, e. g. Un supusu, si dicâ áquésta unui Domtoriu, *subditus, ut dicat hoc Dominatori!* La o inmplare primeşdiósâ qua aquesta, au cadut' alti ómemari, daré unul' qua el sí remâne nevâtématu, *in lem periculosum casum inciderunt alii magni hoines, et ut unus qualis ille est maneat illaesus?* i murit' un Chesar, si tu nu vei murì? *Mortuus est ius Caesar, et tu non morieris?*

3. Ponitur quoque ante Nomina propria, quando haec adhibentur tanquam Nomina communia. e. g. Antonie este un Plato a vechiu 'lui nostru, *Antonius est unus Plato aevi nostri*. Id est: Antonie este in têmpul de aquum, quasi ore quarele Filosofu mare a têmpu lui vechiu, a nome Plato, *Antonius est tempore moderno (quasi) sicut quidam Philosophus magnus temporis antiqui, nomine Plato.* Sensus est: Antonie este mare Filosofu, *Antonie est magnus Philosophus*. Martin' este un Cicero, *Martinus est unus (quidam) Cicero*; i. e. mare Orator, *magnus Orator.*

CAPUT IV.

De Syntaxi Verborum.

§. 20.

De Constructione Verbi cum Nomine.

I. Omne Verbum Personale modi finiti vult haber Nominativum expressum, aut tacitum, qui cum eo i Numero et persona concordat. e. g. Jo amu cântat laudă lui Dumne Deu, *ego cantavi laudem Domin Deo*. Dumne Deu tóte fapturile pentru intrebuintiare Óminilor le au facutu, *Dominus Deus omnes res cr atas propter usum hominum fecit sive creavit.* D partă te dela faptele quéle de rusine, *recede ab acti nibus impudicis.*

II. Verbum Personale plures Nominativos recip si ad eandem rem pertinent. Eiusmodi sunt: io sûm *v* sûnt, *ego sum*; se face, *fit*; se nasce, *nascitur*; r mâne, *remanet*; ésě, *exit*; se chiamă, *vocatur*; numesce, *nominatur*; se dice, *dicitur*; e. g. Christ cu ceréscа súa invětiătură luminatoriu nouĭ s'au facutu *Christus celesti sua doctrina illuminator nobis e factus (v. noster)*. Nimene nu s'au nascutu invětiatu *nemo natus est doctus*. Stélele quele mari nouĭ se i paru a fire micí, *magnae stellae nobis apparent es parvae*. Quel qui folositóre lucruri invétiă, va esi om

procopsitu, *ille qui necessarias res percipit evadet homo peritus*. Stéoa qué mai luminósa se numesce Venus, *stella illa lucidissima nominatur Venus*.

III. Ad interrogationem vehementiorem verbum Nominativo praeponitur. e. g. Unde este Frate le tùu Avel? *Ubi est Frater tuus Abel?*

IV. Verba, quae apud Latinos Genitivum regunt, apud Daco-Romanos regunt Ablativum cum Praepositione *de*. e. g. Adùti aménte de méne, *memineris mei*. Nute uita de méne, *non obliviscaris mei*.

V. Omnia Verba, quae significant: *timorem, gaudium, admirationem*, aut *aliquam actionem mentis*, postulant post se Nominativum cum Praepositione *de*. e. g. S'au inflioratu si au amortitu de fricà, vedendu valurile si undele màrii, *perhorruit et torpuit pre timore videns undas et procellas maris*. Parénti se bucurà de fiii sùi quei buni, *Parentes gaudent de bonis suis filiis*. Cugetat'amu de frate meu si l'amu doritu, *cogitavi de fratre meo et desideravi illum*.

VI. Verba *dandi* et *adferendi*; praeter Accusativum volunt penes se habere Dativum personae. e. g. Dàmi apa sì beuu, *da mihi aquam ut bibam*. Adumi cartea sì legu, *adfer librum ut legam*. Dàmi pace sì dormu, *permitte me dormire*.

Eiusmodi sunt quoque verba sequentia:

Ajutù, *adjuvo*.
Aratu, *indico*.
Ducu, *duco*.
Voiescu, *volo*.
Dàruescu, *dono*.
Demàndu: *praecipio*.
Dicu, *dico*.
Ertu, *parco*.
Invedu, Pismuescu, } *invideo*.
Comèndu, Recomèndu, } *commendo*
Cuccrescu, *humilio*.
Credu, *credo*.
Lingusescu, *adulor*.
Inchinu, *inclino*.
Multiàmescu, *gratias ago*.
Oprescu, *arceo, retineo*.
Poftescu, *opto*.
Pàrtinescu, *parco*.
Ràpescu, *rapio*.
Spunu, *expono, narro*.
Supunu, *subjicio*.
Tragu, *traho*.

Trâmitu, *transmitto.*
Inbunu, *emendo.*
Inpârteşescu, *participo, divido.*
Inpartu, *impertio, divido*
Inprumutu, *mutuo.*
Inputu, *imputo.*

E. G. Inpârteşesce si mie que ai invêtiatu, *participa etiam mecum (mihi) quod percepisti.* Si nu credi mêncinosului, *ut non credas mendaci.* Supuneţi legilor, si vei petrece viatia tûa in pace, *subjice te legibus, et transiges vitam tuam in pace.*

VII. Omnia Verba Activa regunt Accusativum, qui quaestioni pe quine? vel que? *quem?* vel *quid?* respondet. e. g. Cunósce te pe têne ênsu, *nosce te ipsum.* Tênerule! inplinesce demandâciunile mai marilor tûi *Juvenis! adimple mandata superiorum tuorum.* Cautâ dreptatea si grâesce adeverul', *quere iustitiam et loquere veritatem.* Onorâ (cinstesce) pre Pârêntii tûi, qua si ai ḑile lungi, *honora Parentes tuos, ut longos habeas dies.*

Observatio. Multa verba Activa Accusativum duplicate recipiunt. e. g. Ajutâne pre noi Dómne! *Adjuva nos Domine!*

VIII. Quando verbum est in Modo Imperativo, tunc semper Vocativus, ei prae-aut postponitur. e. g. Fiiule! infrênâti poftele tale, *Fili! infrena cupiditates tuas.*

IX. Quando loquimur cum aliquo, aut interrogamus de aliqua re post eiusmodi verba pariter Vocativus-sequitur. e. g. Invêtiâtoriule! que voiu face qua si me mêntuescu? *Magister! quid faciam ut salvus fiam?* Petre! quand' erai mai têner singuru te incingêai, *Petre! quando eras junior solus te cingebas.*

X. Verba Passiva regunt Ablativum cum Praepositione *dela,* ad quaestionem dela quine? *vel* de quine? *aquo?* e. g. Frate meu pentru purtarea sûa què bunâ dela toti Ómeni este lâudatu, *Frater meus propter probam suam vitam ab omnibus hominibus est laudatus.* Jo nêqui-un cuvêntu rêu de dênsul' pónê aqu̅um

n'am auditu, *ego neque unum malum verbum hucusque de illo audivi.*

XI. Verba *petendi*, *abstinendi*, *removendi*, *arcendi* praeter Accusativum regunt Ablativum cum praepositione *dela.* e. g. Infrênă te dela poftele rele, *coerce te a malis cupiditatibus.* Departă dela mêne lumina, *remove a me lumen.* Taiete dela societate quelor inderepnici, *separa te (abscinde te) a societate contumacium.* Jéa invêtiătură dela quei invêtiati, *accipe doctrinam a doctis.* Trageţi limba dela vorbe necuvióse, *abstine (lingvam tuam) a verbis inhonestis, inconvenientibus.* Trage te dela peccate, *abstrahe te a peccatis.*

XIII. Verba, quae *internam ablationem*, aut *evacuationem* significant regunt Ablativum cum Praepositione *din.* e. g. Varsă apa din vasul' aquestu *effunde aquam ex hoc vase.* Scótelu din casă, *excute illum e domo.* Mătură pre aducătoriul' de mênciuni din casa tŭa, *everre, sive ejice adlatorem mendatiorum ex domo tua.* Adă caii din stală, *adfer equos ex stabulo.*

§. 21.

Syntaxis Verborum cum Nominibus Temporum et Locorum.

De Interrogationibus et Responsionibus.

I. Intuitu Nominum Propriorum Pagorum, Castellorum, Urbium. Quae

1.) Ad interrogationem: unde? *quo*? ponuntur in Genitivo cum Praepositione la, *ad*; e. g. S'au dusu la Roma, *ivit Romam.* Purcede la Italia, *procedit* vel *proficiscitur in Italiam.* Antonie au plecatu la Viena, *Antonius Viennam movit.*

2.) Ad interrogationem unde? *ubi*? *in loco*: sequitur Accusativus cum Praeposione in, *in*; e. g. Petru este aquum in Bucuresti, *Petrus est nunc Bucurestini.* Amu fost in Roma, *fui Romae.*

3. Ad interrogationem de unde? *unde?* ponitur Ablativus cum Praepositione din, *ex*, si internum quid seu unde ex loco, volueris exprimere, secus cum Praepositione dela, *a* vel *ab*; e.g. Amu venit din Jasi, *veni Jasio*. Astă nópte amu plecatu din Temisóra, *hac nocte movi Temesvàrino*. Au fugit dela Roma, *fugit Roma*. Martinu s'au intorsu dela Sibiu, *Martinus reversus est Cibinio*. Pavel vine dela Pesta, *Paulus venit Pestino*.

II. Nomina Provinciarum et Regnorum.

1. Ad Interrogationem unde?: *quo?* ponuntur in Ablativo cum Praepositione in, *in*, e. g. Joan au trăcut' in Téra Romanésca, si aquum se află in Moldavia. *Joannes transivit in Valachiam et nunc est in Moldavia.*

2. Ast ad interrogationem, de unde? *unde?* pónuntur in Accusat: cum Praepositione din; e. g. Doi Boéri au venitu din Basaravia, *duo Nobiles Valachi venerunt ex Bassarabia*. Un Sol' au aositu din Russia, *unus Legatus pervenit ex Russia*.

III. De Nomine Casa, *domus*.

Hoc Nomen Casa, significat aut internum habitationis, aut ipsam habitationem. Itaque: In primo casu quando ipsum internum habitationis volumus exprimere: ad interrogationem, unde? *quo*? vel *ubi*? ponitur in Accusativo cum Praepositione *in*. e. g. Unde ai dusu cartea? In casa. *Quo portasti librum? In domum.*

Ad interrogationem autem de unde? *unde*? ponitur in Ablativo cum Praepositione din, *e* vel *ex*; e. g. De unde ai scos' urceorul? Din casa. *Unde excepisti Urceolum? E domo.*

In secundo căsu quando ipsam habitationem indicamus ad interrogationem unde? *ubi?* ponitur cum Praepositione *a*, e. g. Unde ai fost' eri? *ubi fuisti heri*? A casa, *domi*. Unde te duci? *quo pergis*? A casa, *domum*.

Ad interrogationem vero de unde? *unde? ex quo loco?* ei adhuc Praepositio *de* praeponitur. e. g. De unde veni? De a casa. *Unde venis? Domo.* De unde ai adusu scamnu? De a casa. *Unde attulisti scamnum? Domo.*

IV. Intuitu Temporis Annui.

1. Verba tempus denotantia, id est: tempus quo aliquid fit, ad interrogationem quàndu? *quando?* si illud tempus est indeterminatum, regunt Accusativum absque ulla Praepositione. e. g. Quàndu prèviditorii cautà mai virtuos de focu? Nópté, *quando vigiles magis igni attendunt? Nocte.* Quàndu vinu vacile din càmpu? séra, *quando veniunt vaccae ex campo? Vespere.* Quànd'ai poté venire la noi? Dominecà, *quando posses ad nos venire? Die Dominico.* Quànd'ai trecutu prin Viena? Dioa, nópté, prmàvéra, véra, Lunia, Martia etc. *Quando transivisti per Viennam? die, nocte, vere, aestate, die Lunae, Martis.* etc.

2. Ad interrogàtionem quàtu de indelungatu? *quamdiu, quantum?* respondendum per Ablativum cum Praepositione *in*, vel sine illa, semper tamen absque ullo Articulo. e. g. Quàti ani ai invètiatu la Pest? *Quot annis didicisti Pestini?* Patru ani, *quatuor annis.* Quàt'ai ședutu in Roma? *Quamdiu sedisti Romae?* In quinquè ani, *vel* quinquè ani, *quinque annis.*

3. Quando autem tempus quo aliquid factum est, cognitum est et determinatum, illud ponitur cum Praepositione in, *vel* intra, *in, intra,* sine ullo Articulo. e. g. In que dì ai sositu din càlàtorie? Intr'o luni, *quali die advenisti ex peregrinatione?* Uno die Lunae. In quàtu tèmpu au facutu casa? Intr' o véra. *Quanto tempore aedificavit domum intra unam aestatem.* In quóte dile ajungi dela Arad pónè la Pest? In patru dile, *quot diebus pertingis* sive *pervenis Aradino Pestinum usque? Quatuor diebus.*

4. Nomina dierum quando tempus accurate est determinatum non modo sine Articulo verum etiam absque Praepositione ponuntur. e. g. Quàndu se ajună in Séptămână? *Quando jejunatur in hebdomada?* Respondeo: Mercuri, si Vineri, *die Mercurii*, et *Veneris*. Quàndu plecati la Sibiu? *Quando proficiscemini Cibinum?* Joui, *die Jovis*. Daré quàndu veti veni? *Ergo quando venietis?* Sâmbătă, *die Sabbathi*.

5. Nomina partium anni assumunt Praepositionem la, *ad*, si tempus sit futurum. e. g. La érnă voiu ședè in Viena, *futura hyeme habitabo Viennae*. La primavéra voiu merge la Băi, *in Vere ibo ad Balnea*.

6. Pronomen demonstrativum *aquestu*, *aquésta*, quando Nominibus praeponitur abbreviatur, et dicitur: est, asta. e. g. Estu témpu, *isto tempore* (hoc anno). Astă tómnă, *hoc autumno*. Astă véră, *hac aestate*.

Si autem tempus elapsum, est longius quam unus annus, tunc Pronomen hoc abbreviatum permutatur cum Nomine Substantivo anu, *annus*, e. g. Anu érnă, *anno elapso hyeme*; anu çertu, *anno certo*, sive *annis praeteritis*.

V. Intuitu Verborum Auxiliarium.

1. Quando interrogamus aliquid in constructione, tunc Verbum auxiliare postponimus principali, sive Supino e. g. Dusu s'au la scola? *Ivitne ad scholam?* s'au dusu, *ivit*. Venit' au dela Țérină? Au venit. *Advenitne ex Terreno?* Advenit. Duce se va? Duce, *ibitne?* - *Ibit*. Făcut'au? Facutu, *fecitne? Fecit*. etc.

2. Si interrogatio fiat cum Pronomine conjunctivo *mi, ti, i, ni, vi, li*: aut, *me, te, se, ne, ve, se*, tunc Nomen substantivum quod in quaestionem venit expresse aut tacite ponitur. Itaque:

In primo casu Pronomen Verbo auxiliari praeponitur et dein sequitur Substantivum. e. g. Datuti au

calul? *Deditne tibi equum?* Datu, *vel* mi l'au datu, *dedit*, vel *mihi dedit illum.* Ducete va si pre tène la càmpu? *Ducetne etiam te ad campum?* Duce, *vel* me va duce, *ducet*, vel *me ducet.*

In altero autem casu, loco substantivi, ponitur tantum Articulus ante verbum auxiliare. e. g. Calul', qui este in stala dati 'l va silu calaresci? *Equum, qui est in stabulo dabitne tibi illum ad equitandum?* Mi 'l va da, *mihi illum dabit.* Duceve va si pre voi la vie? *Ducetne etiam vos ad vineam?* Ne va duçe, *nos ducet.*

§. 22.

De Constructione Verborum cum aliis Verbis.

Si in eadem Constructione duo verba occurrant plures casus veniunt observandi: nam verbum secundum quod in constructione occurrit aliquando ponitur ad Infinitivum, aliquando ad Gerundium; pariter interdum accipitur in supino, interdum in Participio activo, aut passivo. Itaque:

I. De Modo Infinitivo.

Quando in una constructione duo verba absque conjunctione junguntur alterum in Infinitivo ponitur. e. g. Incepe a se laudare, *incipit se laudare.* Nimene nu póte la doi Domini a serbire, *nemo potest duobus Dominis servire.* M' am' urit'a scriuere, *nauseavi scribere.* Invatiă 'l a vorbire, *doce eum verba facere* sive *loqui.*

Nota. Ultima Syllaba Praesentis Infinitivi *re* in loquendo saepe reticetur, in scribendo autem semper est exponenda.

§. 23.

Omissio Conjunctionis Si, *ut.*

Quando in constructione duo verba inveniuntur, quorum alterum est in modo finito cum Coniunctione

Si, *ut*; illud ponitur ad infinitivum in eadem voce, et tempore, in quo fuit cum coniunctione Si; conjunctio autem exmittitur. e. g. Corpu'l (trupul) trebue dedatu si sufére frigu'l si cáldura, *corpus debet assvefieri ut suffurat frigus et calorem.* Absque coniunctione: Corpul trebue dedat'a suferire frigu'l si caldura, *corpus debet assvefieri, sufferre frigus et calorem.* Cautá tot deauna cu quei mai intelepti de quatu têne si te insoçiesci, *quaere semper cum sapientioribus te, ut te consocies.* Absque coniunctione. A te insoçire; *te consociare.*

§. 24.

Omissio Conjunctionis Chė, *quod.*

In omittenda coniunctione Chė, Verbum ponitur ad Infinitum in eodem tempore, in quo fuit in Modo finito, subjectum ex Nominativo ponitur ad Ablativum cum Praepositione *de*, coniunctio Chė autem exmittitur. e. g. Jo cugetam, chė el ne va face direptate, *ego cogitabam, quod ille nobis faciet iustiam.* Sine coniunctione: Jo cugetam, de el ane facere direptate, *ego cogitabam ab illo nobis iustitiam factum iri.* Se vorbesce, chė Fratele vecinu 'lui meu ar fi càpitatu mare diregòtorie, *dicitur, quod Frater meí vicini magnum munus acceperit.* Vel, se vorbesce de Fratele veciuu lui meu afire capitatu mare diregòtorie, *dicitur, fratrem vicini méi magnum munus accepisse.*

Eiusmodi verba post quae Conjunctio Chė exmittitur sunt etiam sequentia:

Audu, *audio.*	Me miru, *miror.*
Vedu, *video.*	Me bucuru, *gaudeo.*
Judecu, *iudico.*	Me turburu, *turbor.*
Credu, *credo.*	Se vede, *videtur.*
Pricepu, *percipio, intelligo.*	Se aude, *auditur.*
Spunu, *narro.*	Se inpare, *apparet.*
Sciu, *scio.*	Se vorbesce, *fertur.*
	Se quaesce, *queritur.*

Observatio. Si verbum Activum suum habuerit Accusativum personae, tunc Accusativus nullam patitur mutationem. e. g. Jo m' amu vedutu, chè sùm nepotinciosu, *ego vidi*, *quod sim impotens.* Vel, Jo m' amu vedut', afire nepotinciosu, *vidi, me esse impotentem.* Jo amu vedutu pre frate tùu chè au scrisu carte, *vidi fratrem tuum*, *quod epistolam scripserit.* Vel, Jo amu vedutu pre frate tùu a fire scrisu carte, *vidi fratrem tuum epistolam scripsisse.*

§. 25.

De usu Gerundiorum.

I. De Gerundio in ându, èndu, *do.*

Ad hoc Gerundium ponuntur verba quando modum significant et quaestio fit per quomodo. e. g. Tacèndu au respunsu, *tacendo respondit.* Legèndu (citându) càrti multe ne facem' invaètiati, *legendo multos libros fimus docti.* Ursi din Polonia sàltàndu isi cérca pàné sùa, *ursi ex Polonia saltando quaerunt panem suum.*

II. De Genitivo Gerundii cum Praepositione de, seu Gerundio in *di.*

Gerundium in di in Lingva Daco-Romana formatur ex Infinitivo vel supino cum Praepositione *de*; poniturque post quaedam substantiva, quibus quaeri potest: que plésà? *qualis? vel* la que? *ad quid?* Dintre tóte maestriile, maestria de a scriuere este què mai pretiuità, *ex omnibus artibus ars scribendi est pretiosissima.* Dumnedeu ne au datu noui potere de a domnire, si a intrebuintiare animalele (dobitócele), *Deus nobis dedit potestatem dominandi et fruendi animalibus.* N' am voie de invètiatu, *non habeo voluntatem studendi.*

III. De Accusativo Gerundii cum Praepositione, pentru que? *ad*, vel *propter quid?*

Ad Accusativum Gerundii ponuntur illa verba, quae sequuntur post interrogationem *pentru que?* e. g.

Ne compărămu cărti pentru a ne'invĕtiare din dènsele, *comparamus nobis libros ad nos ex eis instruendos.* Pentru a pădire sănitaté multu aduce curătiré, *ad conservandam sanitatem multum confert mundities.*

Observatio. Praepositio, pentru: interdum potest permutari cum Praepos. de, quin sensus defectum patiatur: e. g. Apa si vèntul intorcu morile pentru a măcinare grânu'l, *vel*: de a măcinare grânu'l, *aqua et ventus invertunt molas ad molendum triticum.*

§. 26.

De Usu Supini.

Supinum maxime ponitur post Adjectiva *facultatem* aut *modum rei* significantia assumta cum Praepositione *de*; talia sunt: uşoru, *facilis*; lesne, *levis*; bunu, *bonus*; rèu, *malus*; queva, *aliquid*; multu, *multum*; picinu, *parvum*; greu, *gravis*; formosu, *formosus vel pulcher*; hèdu, *foedus*; dulce, *dulcis.* etc. e. g. Sarcina aquésta este uşóră de purtatu, *haec sarcina est portatu facilis.* Muntele aquestu este greu de suitu, *iste mons est ascensu difficilis.* — Sciéutiile aquestae sûnt lesne de intelesu, *istae scientiae sunt intellectu faciles.* Câmpul' aquesta é formosu de vedutu, *iste campus est visu pulcher.*

Quando Supinum postponitur Verbo auxiliari io sûnt: tunc Supino praeponitur Praepositio *de.* e. g. Casa aquésta este de vèndutu, *ista domus est ad vendendum.* Boul' aquestu este de jungiatu, *iste bos est ad occidendum.* Aquestu vinu é de beuutu, *hoc vinum est ad bibendum.*

§. 27.

De vertenda Constructione activa in passivam.

Hoc fit secundum has regulas.

1. Accusativus ponitur in Nominativum.

2. Nominativus in Ablativum cum Praepositione de, *vel* dela, *a* vel *ab*.

3. Verbum ex Activo in Passivum eiusdem temporis, et modi concordando cum novo nominativo: e. g. Dumnedeu au facutu pre Adam din pâment. *Deus fecit Adamum ex terra. Passive:* Adam dela Dumnedeu din pament s'au facut, *Adamus a Deo ex terra factus est.* Sórele luminâ pâméntul', *Sol illuminat terram.* Pâmentul' se luminâ dela Sóre, *terra illuminatur a Sole.*

Observatio. Forma passiva ex activa non formatur semper opo Pronominis *me, te, se*: sed interdum etiam Verbo auxiliari io sûnt, praecipue vero in temporibus praeteritis et futuris. e. g. Tatâ meu au aratu ţérina, *Pater meus aravit terrenum.* Vel: Térina de Tatâ meu este aratâ. Invêtiâtoriul' au lâudatu pre Invêtiâcelu, *Praeceptor laudavit discipulum.* Vel, Invêtiâcelul' este laudatu de Invêtiâtoriu.

§. 28.

De usu Participiorum.

I. In Forma activa.

Quando in Constructione occurrit Pronomen Relativum *quarele*, *quarea*, *quel*, *qui*, *quea*, *que*, tunc illud verbum ad quod Pronomen aliquod refertur ponitur ad Participium: Has observando regulas:

1. Verbum ex modo finito venit in Participium Praesentis, Praeteri, vel Futuri, pro ratione temporum in quibus fuit in modo finito.

2. Pronomen Relativum omittitur.

3. Accusativus venit in Ablatívum cum Praepositione *de*, vel in Genitivum.

4. Participium cum Substantivo, quod per relativum in memoriam revocatur, in genere, númere et casu concordat.

Exempla Temporis Praesentis.

Cautà la ànima quelui, qui dà darul', érò nu la pretiu'l darului. *Respice animum illius, qui dat donum, non vero pretium doni.*

Cautà la ànima datatoriului de daru, érò nu la pretiu'l darului. *Respice animum dantis donum non vero pretium doni.*

Tènerul', quarele nu-si infrèna poftele sale, aquelu'cu intristare isi va ciunta viatia. *Juvenis, qui non refrenat suas cupiditates, cum contristatione finiet suam vitam.*

Tènerul' ne infrènatoriu poftelor sale cu intristare isi va ciunta viatia. *Juvenis non refranans suas cupiditates cum tristitia finiet suam vitam.*

Exempla Temporis Praeteriti.

Imperatu'l Ciru au prinsu pre Cresu Craiul' Lidiei, quarele multe Cèteti invinsese. *Imperator Cyrus intercepit Cresum Regem Lydiae, qui multas civitates vicit.*

Imperatu'l Ciru au prinsu pre Cresu Craiul' Lidiei, fostul' invinsitoriu a multor Cèteti. *Imperator Cyrus intercepit Cresum Regem Lydiae, qui fuit multarum civitatum victor.*

Pre Traian' Imperatu'l, quarele d'in Italia au adusu pre Romàni in pàrtile aqueste, Istoria mult' il laudà. *Trajanum Imperatorem, qui Romanos (Valachos) in has partes adduxit ex Italia, Historia multum (illum) laudat.*

Pre Trajan' Impèratu'l aducatoriu'l Romànilorn din Itàlia in pàrtile aqueste, Istoria mult' il laudà. *Trajanum adlatorem vel Ducem Romanorum ex Italia in has partes Historia multum laudat.*

Exempla Temporis Futuri.

Tata au datu fiiului viatià, quarea va perì. *Pater didit filio vitam, quae peribit.*

Tata au datu fiiului viatia peritore. *Pater dedit filio vitam perituram.*

Jo amu vedutu astădi pre Petru, quarele va fi la noi Invĕtiătoriu, *ego vidi hodie Petrum, qui erit apud nos Magister.*

Jo amu vedutu astădi pre Petru fiitòriu'l nostru Invĕtiătoriu, *ego vidi hodie Petrum futurum nostrum Magistrum.*

Observatio. Si Verbum ponendum sit ad Participium post has conjunctiones: quăndu, *quando*; dupŏ que, *postquam*; pentru chĕ, *quoniam*; de óreque, *quum*; tunc adhibetur Participium Praesens in ăndu ĕndu. e. g.

Eri ámu vedutu pre frate tŭu, quăndu trecea pe ice, *heri vidi fratrem tuum, quando hac transibat.*

Eri amu vedutu pre frate tău trecĕndu pe ice, *heri vidi fratrem tuum hac transeuntem.*

Noe, dopŏ-que au intratu cu familia sua in barcă au scăpatu de mórte, *Noe postquam intravit in barcam cum sua familia effugit mortem.*

Noe, intrănd' in barcă cu familia sua au scăpatu de mórte. *Noe intrans in barcam* etc.

Serse, pentruchĕ au vrutu si sfărame Téra Grecésca, mare numeru de ostasi au redicatu, *Serxes, quoniam voluit Graeciam confringere magnum militum numerum erexit.*

Serse vrĕndu si sfărame Ţéra Grecéscă mare numeru de ostasi au redicatu, *Serxes volens Graeciam confringere.* etc.

Porro observandum: Participium hoc in ăndu, ĕndu posse permutari cum Nominibus a Verbis derivatis. e. g.

Noe, intrăndu cu familia sua in barcă, de vărsaré apelor scăpă, *Noe intrans cum familia sua in barcam effugit diluvium.*

Noe dupŏ intraré cu familia sua in barcă, de vărsaré apelor scăpă, *Noe post introitum suum in barcam* etc.

II. Participium in Forma passiva.

Verbum ad Participium passivum eodem fere modo ponitur, quo ad Participium activum, id est: Verbum ex modo finito venit ad idem tempus Participii; Pronomen relativum omittitur; reliqua autem manent immuta. e. g.

Cu greu este a stare in ante tiranului, quarele s'au infocatu de mânie, *difficile est stare ante tyrannum qui est ira accensus.*	Cu greu este a stare in ante tiranului infocatu de mânie, *difficile est stare ante tyrannum ira accensum.*
Câmpul', quarele s'au aratu si s'au sêminatu cautâ umedialâ, *campus, qui aratus est et inseminatus quaerit humorem.*	Câmpul', aratu si seminatu cautâ umedialâ, *campus aratus et inseminatus quaerit humorem.*

1. *Observatio.* Hoc Participium passivum, si Nomini postponatur, recipit ante se Pronomen demonstrativum *quel, que*, ut:

Nu asteptâ intelepciune dela omul', quarele è ne strecuratu la mênte, *noli exspectare sapientiam ab homine, qui non est percolatae sive maturae mentis.*	Nu asteptâ intelepciune dela omul' quel ne strecuratu la mênte, *noli exspectare sapientiam ab homine immaturae mentis.*
Lucrul' ascunsu, quarele este mie inpârtâsitu, *vel* incredintiatu nimenui nulu voiu spune, *rem absconditam*, (*sacramentum*) *quae mihi concredita est nemini exponam.*	Lucrul' ascunsu, mie inpartasitu, *vel* incredintiatu nimenui nulu voiu spune, *rem absconditam mihi concreditam nemini exponam.*

Ast si Participium suo Substantivo praeponatur, recipit Articulum definitum, et Pronomen relativum exmittitur. e. g. Infocatul' de mânie tiranu, *ira accen-*

sus tyrannus. Sèmlnata țérlna, *seminatum terre num.*

2. *Observatio.* Participium passivum saepissime sequitur exmissis his Particulis: quàndu; pentru chè; dupò que; dachè; in quo casu Participio praeponitur vocabulum fièndu. e. g.

Leu'l dupò que s'au sàturatu, si au rèpàusatu, nimenui nu face rèu, *Leo postquam se saturavit, et quievit nemini nocet.*	Leu'l fièndu sàturatu, si rèpàusatu nimenui nu face rèu, *Leo (essendo quasi) saturatus, et quietus nemini nocet.*
Cristos, dachè s'au fàcutu séra, intr' una de Sàmbàtei au inviatu, *Christus, postquam vespera (sera) facta est, in una Sabbathi resurexit.*	Cristos fièndu séra intr' una de Sàmbàtei au inviatu. *Christus, vespera facta in una Sabbathi resurexit.*
Irod, pentruchè s'au màniatu pe Joan, pentru Irodiada, i au tàiatu capul', *Herodes, quoniam iratus est Joanni, propter Herodiadem, ei caput abscidit.*	Irod, fièndu maniatu pe Joan. etc. *Herodes cum esset iratus Joanni.* etc.
Quand' au venitu Tàtarii in parțile aqueste, pe unde ajungea tóte cu focu si cu arme le predaa, *quando venerunt Tartari in has partes; ubi perveniebant omnia igne et armis praedabantur.*	Veniêndu tàrTàtarii in parțile aqueste, pe unde ajungea, tóte cu focu si cu arme le predaa, *venientes Tartari in has partes.* etc.

CAPUT V.

De Syntaxi Adverbiorum.

§. 29.

Adverbia semper adjunguntur verbis, et indicant locum quando, ubi, et quomodo aliquid factum sit. e. g. Unde è? *ubi est*? Petru prandend' eri aice despre multe lucruri inţelepţesce au vorbitu, *Petrus prandens heri hicce de multis rebus sapienter est locutus.*

Nota. Omnia Nomina Adjectiva possunt adhiberi tanquam Adverbia, immo Adjectiva perse sunt Adverbia, et tunc tantum evadunt Adjectiva, quando cum Nomine Substantivo conjunguntur, et alicuius personae aut rei proprietatem indicant. e. g. Dirept' au judicatu, *recte iudicavit*; formos' au scrisu, *pulchre scripsit*; tare au legatu, *fortiter ligavit.* — Nunc: Adverbia, *direptu, formosu, tare*, fiunt adjectiva, e. g. Judecatoriu direptu, *Judex iustus*; scripturâ formosâ, *pulchra scriptura*; legăturâ tare, *fortis ligatura.*

Volentes aliquem ad rem quampiam magis attentum reddere, tunc Adverbio Praepositio *de* praeponitur. e. g. Audi quum cântâ de subţire, *audi quam tenuiter cantat*; Vedi quum de bene au judecatu, *vide quam bene judicavit.*

Multa Adverbia loci assumunt Praepositionem *de* e. g. Mai multi Români lôcuescu din côce de quântu din colo de Dunère, *plures Romani* (*Valachi*) *habitant cis quam trans Danubium.* El este din susu de Viena nâscutu, *ille est supra Viennam natus.*

Nota. Adverbia possunt mutari in Nomina adjectiva, si eis adjungatur Articulus, aut alia Particula. e. g. Bènele que mi ai facutu ne uitatu va fi. Loco ut dicamus: Pentru chè mi ai facutu bène nu te voiu uità, *beneficii mihi praestiti memor ero.* Pânura aquésta are asprime, *iste pannus habet asperitatem*; *vel* pânura aquésta è asprâ, *iste pannus est asper.*

Omnia Adverbia clariorem fundunt sensum verbis prae, — quam postposita. e. g. El curénd' au venit la mène, *ille cito venit ad me*, clarius est dictum quam: El au venit la mène curéndu.

Adverbium *ba nu*, adhibent Daco-Romani tunc, quando volunt indicare se ita rem aliquam peracturos, quemadmodum dicunt, et aequivalet latino *omnino non*. e. g. Mergevei cu mène la térina? *ibis ne mecum ad terrenum*? ba nu voiu merge, *omnino non ibo*; i. e. *persvasus esto me minime iturum*.

In constructione una duae negativae Particulae iuxta indolem Lingvae Daco-Romanae dant sensum negativum e. g. Io nimica nu i amu datu, ego *ei nihil dedi*.

Observatio. Ast si Particula *nu*, alteri negativae praeponatur, tunc non negationem sed affirmationem denotat. e. g. Io nu nemica i amu datu, *ego non nihil ei dedi*; indicat: quod ego ei dederim, adhuc multum.

CAPUT VI.

De Syntaxi Praepositionum.

§ 30.

Ex Praepositionibus, quae semper Nomini praeponuntur, indicando statum personae alicuius, aut loci, praecipue sequentes considerandae veniunt:

